ACADEMIARVM QVÆ ALIQVANDO FVERE ET HODIE *sunt in Europa, Catalogus &* enumeratio breuis.

***

Den: Fleming

LONDINI
Excudebant GEORGIVS BISHOP
& RADVLPHVS NEWBERIE.
An. Dom. 1590.

45
6 14
249

CLARISSIMO VIRO, SACRAE MAIESTATI A MELIORIBVS CONSILIIS D. CHRISTOPHORO HATTONO, Summo Angliæ Cancellario, Georgiani ordinis equiti aurato, & florentissimæ Oxonienſis Academiæ Archicancellario Honoratiſsimo S. P.

Vlta ſunt diuinæ bonitatis argumenta Nobiliſs. Cancell. ampla ſunt præpotentis Dei in Chriſtianam Rempub. benemerita. At ſi rectè meminit Philoſophus, bonum quò communius, eò melius: *eſt ad omnes humanæ vitæ partes Academiarum vſus inprimis neceſſarius. Siue ſurſum, ſiue deorſum ſpectemus, ſiue vndiquaque oculos circumferentes contemplemur, id luce clarius perſpiciemus, & literas, & religionem, & πολιτίαν, quamuis optimam hinc inde manaſſe, & Reſpub. quaſcunque per orbem terrarum tum maximè floruiſſe, cùm Academias maximo in pretio habuiſſent. Siue mundum vniuerſum penſitemus, ſeu Chriſtianum hunc noſtrum Europæum primum & vltimum, α & ω: ſi de fide loquimur, & rerum geſtarum vera gloria: Hinc olim literæ palantes, & incertis ſedibus vagantes, tum demùm emergere, & altas agere radices incipiunt, vbi & hominum cœtus in vrbes cogerentur, & literatis in Academia, ſiue Stoa, ſiue Lycæo, primò σοφοῖς, deinde Philoſophis, Poetis, & Rhetoribus, literarum palma nobilis daretur. Hinc quæſtiones, & curioſa rationum connexio Syllogiſtica, quia vincenti dabitur corona Sophoclea. Hinc orta ſunt Gymnaſia, hinc Paleſtritæ literarum glorioſiſsimi, & veritatis indagandæ in quauis facultate ſtudioſiſsimi, vnde tot fructus vberrimi in labantes Reſpub prouenire, vt quæ nullæ fuerant ad inſignem nominis ſui gloriam*

erigebantur, & quæ vacillantes & inclinatæ penè fuerant, reflorescere cœperunt. Hinc Euripidi poetæ gloriæ ducitur:

οὔ ποτε σὸν μνῆμα Εὐριπίδης ὤλετο ποῦ: nunquam tua memoria Euripides peribit. *Hinc Crotoniatæ Pythagoram (dum viueret) præ omnibus venerati sunt: post mortem verò domum ipsius Cereris sacrarium fecerunt. Alexander ille Macedonicus hinc ergo magnus, vbi Thebas fudisset, vrbem diripuisset, solóque æquasset, & 30000. ciuium venundedisset, præter 6000. cæsos, vnum tantùm Poetam Lyricum Pyndarum, eiúsque familiam saluos esse voluit. Marcellus Syracusas expugnatus Archimedem Philosophũ & Geometram, à nefario milite occisum, etsi machinas tendentem, & contrà molientem, vehementer deplorabat. M. Ciceroni filio gloriosum fuit, patri verò iucundum, Athenis Cratippum audiuisse. Alphonsus Aragoniæ Rex, Caietam oppugnaturus, saxa & tormenta quibus vehementer eo tempore indigebat, ex viciniori agro depromi iussit: sed vbi villam Ciceronis fuisse intelligeret, malle se inquit tormentis nunquam vti, quàm eam villam violare. Romani Pompeio nomen magni Imperatoris, vnà cum tribus ex trina orbis parte triumphis, ob præstantes virtutes decernunt, & statuam ei in Senatu erigunt: vbi Cæsaris vita cum gloria paulùm inclinata, per æmulationem cecidit. Quem sanè, magnum inquam Pompeium, omnium seculorum & gentium principem (vt scribit Cicero Appio pulchro) rerum maiestate sublimem, nisi M. Tullius & T. Liuius in literas retulissent, quis tandem eius gloriam loqueretur? Sed omnis me deficeret hora, si literarum præmia, palmas, & præconia enumerarem. Bene nobis successit & Musis, hinc literarum trophæa, amphitheatra splendidissima, Academias fuisse oriundas: quia honos virtutes & artes alit. Legimus apud veteres, Synagogas, Hierosolymitanam, Antiochenam, Alexandrinam, & alias plerásque nobis Bibliothecas peperisse, omni librorum genere instructissimas, necnon scientiarum fontes ita*

aperuisse,

aperuiſſe, vt inde ad poſteros religio, virtus, omníſque literatura deriuetur copioſiſſimè. Perinde vt apud Ciceronem pulcherrimè docet Atticus: Mihi quidem multa eximia diuináque videntur Athenæ peperiſſe; *quum tamen cæleſtem illam, auguſtam, ſacroſanctam diuinitatem, & θεολογίαν noſtram, quæ ſola ex Hebræorum, Aegyptiorúmque myſterijs, & expreſſo Dei verbo deprompta eſt, penitus ignoraret. Mitto quod alij ſcribunt authores*: Quod pupilla eſt in oculo, & in animo ratio, hoc Athenæ erant in Græcia, *inquit Philo. Reclamabant ergo qui Athenas vicerant ne diruerentur, quia alterum nollent ex Græciæ oculis erui. Alijs Græciæ μεσαῖον vocabatur, quòd ea vrbs tantò literis fœlicior eſſet (vt oraculo erat promiſſum) quantò reliquas aues Aquila præcelleret. Thucidides Ἑλλάδος Ἑλλάδα, Græciæ Græciam, Pythias Veſtam Græcorum appellare ſolebant. Nicephorus Gregoras λόγων ἑστίαν vocat. Inde ad Romanos tranſlatum Athenæum, quaſi doctrinarum omnium ſtudium florentiſſimum, quod poſtmodum ſapientiæ Collegium dictitarunt: vbi Seuerus audiendo, Gordianus Cæſar declamando, Claudius Imperator ſcribendo, immortalem gloriam conſecuti ſunt. Inde ad Brutannos Athenarum æmula deriuata Oxonia, vetus & noua, ſic bonas artes excoluit, vt non immeritò proditum ſit, Græcorum Philoſophos, vel fato ſuo ductos, lociue amœnitate pellectos, ſic Muſas ipſas ad aquas Iſidis, quaſi ad fontes Caſtaleos conſediſſe. Inde tanquam ex fonte lympidiſſimo & viuo, dimanauit peruagata illa & celebris de Lutetia Pariſiorum, & Oxonienſi Academia commendatio: ortæ ſunt (vt aiunt) hæreſes pernicioſæ, pleræque tam ſubtiles & occultæ, vt niſi Oxonienſes acutiſſimi Anglorum Theologi, & Pariſienſium Sorboniſtæ, lynceis oculis perſpexiſſent, magniſque ſigillis condemnaſſent, vix aliquis poſſet præcauere. Quæ cùm ita ſint, multum ſumus deuincti bonis Principibus, Regibus, Imperatoribus, Pontificibus, & Honori tuo ampliſſimo, quorum beneficētia literarij cœtus etiam nunc*

hodie conſeruantur, ampliſsimíſque redditibus & priuilegÿs muniuntur. Pergite igitur quæſo (vt occepiſtis) viri omni honore digniſsimi, Athenas noſtras fouere, rem literariam promouere, Academicis conſulere, indulgere, priuilegia munire, Euangelium propagare, Chriſti fidem ritè inſtituendam curare. At ne deliteſcant ſub vmbra literæ, prodeat tandem bona cum venia, viri longè honoratiſsimi, Academiarum ſummaria collectio: vt ornamenta hæc Reipub. ſimul conſpicientes, incredibilem hanc Dei bonitatem fœliciùs agnoſcamus, & ornet quiſque Spartam ſuam, vt triumphent literæ, & Academiæ quæuis celeberrimæ: ſi priùs tamen pauca de Academia fuerimus præfati, Honori tuo ſemper precantes incrementum, amplitudinem, & gratiam.

Oxon. 15. Maÿ. 1590.

Honoris tui obſeruantiſſimus, M.W.

ACADEMIA.

ACADEMIA.

Cademiæ quæ hodie vniuersitates appellantur, olim Synagogæ dicebantur: vt fuerant illę Hierosolymitana, Antiochena, Ephesina, Dabritensis apud Phœnices omnium prima. Academias semper in vrbe aliqua celebriori, vt Hierosolymis, Athenis, Romæ, aut Constantinopoli statuebant. Metuebant enim veteres, ne sacrosanctæ leges obscurioribus in locis, propter doctorum penuriam, turpis lucri gratia ab imperitis corrumperentur. Quæ fuit olim Athenis Academia, Ecademia primùm denominata erat, ab Ecademo, qui scholam primus vmbriferam in loco nemoroso inter syluas instituit, vnde Horatius:

Scilicet vt possem curuo dinoscere rectum:
Atque inter Syluas Ecademi quærere verum.

Tandem per vnius literæ mutationem, Academia appellari cœpit, ter mille drachmis emptus agellus. Ex qua vt omnes ferè præstantissimi Oratores, optimi Philosophi, & celeberrimi Poetæ prodierunt, sic eius nomen apud gratam posteritatem præ cæteris in vsu permansit.

Pausanias Atticis: *Extra vrbem proximè Heroum virorúmq; fortium sepulchra, est Academia, priuati olim hominis ager, nunc Gymnasium.*

Laertius Platone: *Reuersus Athenas Plato commorabatur in Academia.* Est autem hoc Gymnasium suburbanum, nemorosum, à quodam heroe cui nomen fuit Academo dictum: quemadmodum in Astratentis dicit Eupolis,

ἐν δυσκόλοις δ' ἐρήμοισιν Ἀκαδήμου θεοῦ.

In ambulacris Academi vmbroſis Dei.

Huc forent referenda (ſi ſingula perſequeremur) nomina diuerſa à diuerſis authoribus repetenda: vt ſunt Academia cui præficiebatur Minerua, Lyceũ cui Apollo, Cynoſarges cui Herculem tutelarem adhibebant Deum, Athenæum, Apollonium, Stoa, Heracleum: ſimiliter apud Ciceronem Arpinas, Tuſculana, inter Auernum & Puteolos tertia, & alia plæráque aliò referenda, quia nobis tantùm in animo eſt Academias Europę celebriores, earúmque authores ſimul & tempora quibus inſtituebantur nominatim recenſere.

Athenæ, quondam nobiliſſimæ, Græciæ lux & anima, imò Græcia ipſa animata, Academiarũ parens & mater, iure ſuo optimo ſtationem hîc primam, imò theatrum & triumphum ſplendidiſſimum vendicaret, niſi (veh malum grauiſſimũ) orbis Europæi & Græciæ lumen clariſſimũ, temporum iniuria intercidiſſet, & barbara immanitate extinctũ iacêret. Sed ecce, Deus omnipotens, diuinæ bonitatis claritate Brutannos ſuos illuminans, Athenas nobis plures reſtituit, quas ordine ſuo Alphabetico deinceps ponemus, ſi diuinæ gratiæ lumen, quando Brutanniam hanc noſtram illuſtrarit, primò docuerimus.

Præter ea quæ docent ſacræ literæ ſiue Moſaicæ ſeu Euangelicæ, Iaphetum inſulas primùm occupantem voluntatem Patris diuini ad Oceanum & inſulas vſque extendiſſe; teſtantur hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & prophanæ, Apoſtolos Paulum, Andræam, Philippum, ſeu Ioſephum Arimathienſem, aut quemuis alium Chriſti nuncium, ſub Aruirago, Lucio, aut Ethelberto regibus in littore Brutannico hæſiſſe, fidem Inſulis annunciaſſe,

ciasse, quarum est Brutannia, seu orbis Christiani totiúsue Europæ maxima, Angliæ regnum, seu ὄλεθρον fœlix, deinceps Brutannia & insulæ Prutannicę (vt augurantur homines literati & bene sapientes) fidem Christianam, omni auro & mercibus longè petitis anteferendam, ab initio amplexum est: anno verbi incarnati 63. Posteà verò, Salutis & Gratiæ 180. regnante Lucio rege, clariorem Euangelij lucem gratissimè accepit, vtinam ne respuat aliquando. Erat hic annus à Bruto applicante in littore Brutannico 2076. Annus sursum ab orbe condito 4142.

ACADEMIARVM QVAE ALIQVANDO FVERE ET HODIE SVNT IN EVROPA, *Catalogus & enumeratio breuis.*

Brutanniæ Maioris pars Septentrionalis, Scotiæ regnum, Christi religionem sub Imperatore Seuero, & Victore Pontifice Romano accepit, anno Christi 203.

Academiæ sunt 3.

ABerdonensis **Aberdein:** portum habet ad littus maris Germanici optimum: olim Scotorum Regia fuit. Hanc Alexander Rex dicitur instituisse, multísque ornasse priuilegijs, circiter annum Domini 1204 Willielmus Elphinstonius Aberdoniæ Episcopus multùm auxit, & (vt quibusdam placet) instituit, anno 1480. Ioannes Adam primus hîc Theologiæ laurum accepit. Est hîc Regis de literis bene merentis argumentum Collegium Regium. Eius longitudo 19. 146. latitudo 64. 15. distantia 364. Scot. 1. Theol.

S. Andreæ **S. Andrewes.** Hæc celeberrima & pri- Scot. 2.

ma est huius regni Academia, inaugurata anno Domini 1411. quum Iacobus Rex in Anglia detineretur, conuenientibus eò Laurentio Londoris le gũ professore, & Richardo Coruello Decretorum doctore. Est hîc prima & Archiepiscopalis sedes Scotiæ. Eius longitudo 18.26. latitudo 61.3. distantia 325.

Ius ciuile & Canon.

Veram Christi religionem in Galliam intulerunt Apostoli, præsertim Paulus & Philippus. Lucam etiam Euangelistam in Gallia docuisse, author est Epiphanius Andegauensis. Hanc Apostolorum discipuli Crescens, Martialis, Dionysius Areopagita, præterea Eleutherius, Aphrodisus, Rusticus diligentissimè propagarunt. Ipsum verò Galliæ regnum ad fidem Christi conuersum est sub Clodoueo Francorum Rege quinto, qui ab vxore sua Clotilde Regis Burgundici filia ad fidem Christianam est inductus anno Domini 490. A. S. Remigio sacri fontis lauacrum accepit anno verbi incarnati 504. post victos Alemanos.

Academiæ sunt 17.

Gal. 1. ANdegauensis, **Angiers**, in comitatu Andegauiæ, instituta à Ludouico 2. Andegauiensium duce, eodem ferè tempore quo Rupertus Palatinus Heildebergensem Academiam in Germania fundabat 1210. aut 1346. Henricus Valesius Andegauensium dux, Caroli 9. Gallorum Regis frater, eam superiori anno instaurauit. Ad quod diuinum opus, præter reliquos maximarum artium doctrina insignes viros, Franciscum Balduinum magnis prẽmijs euocauit, vt iuris studium attolleret. Monumentum Ludouici 2. Fundatoris hîc visitur. Long. 13.49 Iat. 46.0. dist. 408.

Iurisp.

Gal. 2. Auinionensis, **Auignon**, in Gallia Narbonensi ad Flu. Rhodani. Huc Iohannes 22. Pon. Rom. Curiam Pontificiam Roma transtulit, quę annos 60. ibi mansit.

Erat

Erat tum florentiſs. Academia, magnis priuilegijs ornata, anno domini 1360. alijs 1316. Andreas Alceatus ſexcentorum aureorum ſtipẽdio conductus híc docuit. Hîc etiam floruit Paulus Caſtrenſis Iuriſconſultus, vt eius commentaria in Ius ciuile quæ prælectiones Auinionicæ vocantur declarant. Long. 22. lat. 45. 52. diſt. 665. Ius ciuile.

Aurelianenſis, Orleance, ad Ligerim Flu. in ducatu Turonenſi. Hanc dicitur conſtruxiſſe Aurelianus, an. domini 1276. Alijs videtur à Philippo pulchro Gal. erecta anno dom. 1312. Hanc ad Iuriſprudentiam ornandam erectam Reges Gal. multis ornabant priuilegijs. Eadem ferè habet priuilegia quæ Toloſana, vt indicat Baldus. Long. 15. 36. lat. 47. 13. diſt. 332. Gal. 3. Iuriſp.

Germania olim duplex, vna vltra Rhenum & Danubiũ Chriſti cognitione haud longè poſt Apoſtolorum tempora erat imbuta, altera cis Rhenum & Danubium, per temporum interualla ad fidem eſt conuerſa, præſertim verò circiter annum domini 730. inexhauſtis laboribus S. Winefridi natione Angli, aliâs Bonifacij, qui Euangelium ibi per 36. annos abſque intermiſſione annunciabat.

Academiæ ſunt 23.

ARgentinenſis aliâs Argentoratenſis, Germanicis noſtris Straſburg, in Alſatia, quam vrbem putant nonnulli iactam à Ierone: à S. Materno Petri Apoſt. diſcipulo euangelium accepiſſe ſcribitur, ſed non diu perſtitit. Huius iam Rector eſt Iohannes Sturmius vir multæ literaturæ & paucis ſecundus. Long. 24. 30. lat. 48. 5. diſt. 535. Germ. 1.

Baſilienſis, Baſill. Hanc Pius 2. Pon. (qui ex conſilio Baſilienſi electus eſt in Pontificem) videtur erexiſſe 2. ſui Pontificatus anno 1459. vt conſtat ex hijs verbis. Germ. 2.

Postquam ad summi Pontificatus apicem prouecti sumus, desiderantes ciuitatem prædictam, ac illi adiacentem patriam, diuini muneris largitate concessa, inextinguibili sapientiæ lumine illustrari, eàsque sanis peritorum consilijs & maturitate fulciri, generale studium & in eadem ciuitate statuimus & ordinauimus inchoandum, & tam in sacra pagina, & vtroque iure, quàm alia quauis licita facultate perpetuis temporibus vigere. Datum Mantuæ anno Dominicæ incarnationis 1459. pridie Calendarum Ianuarij, Pontificatus nostri 2. Eisdem honorauit priuilegijs quibus Bononiensis, Colonienſis, Viennensis, cæteræque in Germania vniuersitates exornatæ sunt. Instaurata fuit hæc Academia anno 1489. & anno 1490. Primus huius Academiæ celeberrimæ Rector fuit Georgius de Andelau. longitudo 24.22. latitudo 47.41. distantia 567.

Vniuersitatis institutio.

Brutannia modò Anglia, vulgò **England**, *vt priori pagina luculentiùs demonstratum est, inter primas & præcipuas orbis partes & incolas à Iapheto post diluuium, & religionem Christi ab Apostolis accepit anno Domini 63. Posteà verò vt Euangelij virtus magna est & lux clarissima, Paganorum tenebras plusquam Cymerias dispulit, & Brutannis nostris affulsit sub Lucio Rege anno Domini 180. Anglis deinde illuxit sub Ethelberto Estanglorum Rege anno 598. venientibus à Gregorio 1. Pont. Rom. Augustino, Melito, Iohanne, & alijs.*

Brut. 1.

BAnochorensis pro ordine litteræ primò occurrit, Anglis vulgò **Bangor**, in comitatu Brutannico Caeraruon, Anglis **Carnaruonshire**: vrbs more antiquissimarum Academiarum ad fl. Deuam posita, Anglis **The riuer of Dee** eo seculo insignis & Academia celebris, quam Lucius Rex erexisse dicitur. Numerus

erat

erat ampliùs 2000. ſtudioſorum. At propter Pelagianam hæreſim relicta eſt deſolata. Hanc Congillus Banochorenſis in cœnobium Monachorum mutauit, quum 350. annis ſtetiſſet. Interciderunt & aliæ temporum decurſu pro fato ſuo, vt Græcoladienſis, Latinoladienſis, Legionenſis, Carlionenſis, Stanfordienſis, & ſi quæ plures. Florent tamen inter primas & antiquiores Europæ Academias, Oxonia vetus & noua florentiſſima, & ratione ſimili Cantabrigia.

Italia ab Apoſtolis ipſis ſyncero Chriſti dogmate erat informata.

Academiæ ſunt 16.

BErgomum oppidum ad Padum Fl. inexpugnabile multis circundatum arcibus. Academia hæc omni diſciplinarum genere excelluit. Eſt hîc Bibliotheca ornatiſſima, quæ cum præcipuis totius Europæ Bibliothecis meritò debeat connumerari, Long. 32.0. lat. 45.0. Ital.1.

Biturigenſis vulgò **Bourges** in Francia, à duce quodam qui Biturigibus imperabat erecta, à Paulo 2. Pon. confirmata, & bonis multis à clariſſimis viris ita exculta, vt iam literarum decus & doctiſſimorum virorum Emporium meritò dici poſſit, vt ſcribit Sebaſtianus Munſterus, lib. Coſmogr. long. 18. lat. 45. 30. diſt. 434. Gal.4.

Bononienſis olim Bolonia, vulgò *Bologna la graſſa* in Rhomandiola, quam erexit Theodoſius Imperator circiter annum 447. vt ſcribit Volateranus. Sed temporis progreſſu ferè dirutam reſtaurauit Carolus magnus circiter annum 806. Carolus 5. Imperator diademate Imperiali ibidem redimitus, ne quid deeſſet gloriæ eius, multis eam ornauit priuilegijs, long. 32.5. Ital.2.

lat.43.54.dist.962.

Gal.5. Burdegalensis **Burdeaux**, ad Garumnæ Fl. ostium in ducatu Auerniæ & Aquitaniæ, Gymnasium Aquitanicum per excellentiam vocatur, quòd in nulla alia Aquitaniæ Academia omne Artium genus publicè tradatur. Sunt hîc ædificia maximo sumptu constructa, & antiquitate conspicua. long.18.lat.45.30.dist.492.

Studium generale.

Angl.2. Cantabrigiensis, Anglis **Cambridge**. sacrum Musarum asylum, & literis optimis referta Academia: à Sigeberto (vt perhibent) Estanglorum Rege instituta, anno domini 637. Ibi visuntur egregia Principum, Heroum, Pontificum, Procerum, & nobiliũ Fœminarum nostrarum, monumenta literaria, Collegia 11. Aulæ 4. Scientijs publicè legendis Scholæ plures elegantes & accommodatæ. Est & sacris destinata Capella Regia, structura nobilis & conspicua, per orbem terrarũ multum celebris. Multa sunt naturæ antiquioris, Artis, & virtutis documenta. Inde prodierunt viri doctissimi plærique, quorum nomina in posterum currente fato & tempore forsan recensebimus. At libens optarim ne digladientur nimis & nænias mittant, qui hanc aut illam contendunt esse antiquiorem. Sint Archades ambæ, vtræque florentes, lucem Sole clariorem sibi inuicem alternantes. Sin libet dissentire, fateor cum Cicerone, vt sint opinionum dissensiones absque animorum acerbitate: & disceptatio fiat Gymnastica, dum veterũ monumenta eruant ab Antiquariis altiùs recondita. Desinant interim mordere, conuiciari, aut contumelias iacere: canant potiùs poeticè aut musicè, vt poeta quidam nostras hijs versibus:

Sunt Musæa duo Regni decora alta Britanni,
Vtraq; Castalias consita propter aquas.

Ponte,

Ponte, vado transire licet: de ponte vadoque
Nempe locus nomen cepit vterque suum.
Qui properant illuc (cum ponte feruntur ab vndis)
Accessus faciles ne vereantur habent.
At transire vadum, magni res plena pericli est,
Ne pede vi fluctus deficiente cadant.
Hoc tamen intererit, si te sitis vrget aquarum,
Causa fuit tanta quæ tibi sola viæ:
Has procul excelso tantùm de ponte videbis,
Potabis medio quàm potes vsque vado.

Præsidet hîc nobilis certè senex, æuo grandis, & cõsilio maturus, sacræ Maiestati ab intimis consilijs, aureæ perisceli dis eques, D. Guilielmus Burleius, summus Angliæ Thesaurarius, non mediocre Reipub. columen & decus.

Meridianus qui Cantabrigiæ vertici imminet partibus 23. scrupulis 25. ab vltimo occidente distat. Arcus verò eiusdem Meridiani inter æquatorem & verticalem punctum interiectus gradibus 52. scrupulis 11. commensuratur. Hæc est illa Academia antiqua, & celebris, quę non modò Oxonienſi florentissimo Anglorum Gymnasio, sed & alijs Europæi Orbis Academijs antiquioribus facilè posset adæquari.

Est certè tanto fœlicior, quòd Augustissimam Principem, præpotentem Europæ virginem & dominam, non sine stupore & admiratione Academicorũ omnium audierit loquentem in hæc verba. *Etsi fœminilis iste meus pudor (subditi fidelissimi & Academia charissimi) in tanta doctorum turba illaboratum hunc sermonem &c.* Quæ superſunt aliò sunt referenda, quia ineffabilis est supra quam dici possit Principis huius Maiestas & gloria.

Cadomensem in Normania Henricus quintus Anգliæ Rex erexit, an. domini 1418. Quum enim contra Gal.

Carolum

Carolum sextum Franciæ Regem triumphassẽt, .. Normaniam ab eo extorsissẽt, in partibus illis hanc instituit Academiam. Cui Michael Trigonius seu Tryguri, Cornubia oriundus, Oxonij educatus, vir omni literarum genere instructissimus ac grauitate eximius, præficiebatur ab Henrico quinto. Mortuus est Dublinensis Archiepiscopus anno Domini 1471, vbi annos ampliùs 80. grauiter & sobriè transegissẽt in tribus regionibus, Brutannia, Normania & Hybernia.

Siciliam olim Italiæ fuisse partem & Cicero actione 4. in Verrem, & hoc à Marcello Prætore Rom. extructum Catanense Gymnasium testantur. Iisdem ferè vsa est authoribus, eodémque penè tempore, quo Italia bonas literas & morum præcepta accepit: verbum Dei Patris & literas à Ianigenis acceperunt. D. Petrus veram Christi cognitionem Siculis ostendit. Bartholomæus Apostolus, & Pancratius Petri discipulus promouerunt.

Sicil. 1. CAtanense in Sicilia Gymnasium, Marcellus Prętor Romanus, post captas Syracusas pulcherrimum extruxit. Quod etsi per temporis rerum edacis iniuriam erat collapsum, hodie tamen (vt scribit Marius) in omni liberalium artium genere frequentissimum est.

Poloniæ regnum ad fidem Christi conuersum est sub Miesko aliâs Miezlao Rege 14. Poloniæ, qui vt filiam Ducis Bohemici desponsaret, Christo initiatus est anno Domini 975.

Academiæ 4.

Pol. 1. CAturcensis quæ tum dicitur floruisse egregiè, optimísque ornatam fuisse priuilegijs, quando Rebuffus illic profitebatur.

Hispania primò in duas prouincias, deinde in Regna 12. partitur:

tur: quorum alia citiùs, alia ſeriùs ad Chriſti fidem ſunt conuerſa.

Academię 17.

CAeſarauguſtana ſiue Saragoſſa in regno Aragonię. Hiſp. 1.
Eſt hęc primaria ciuitas vbi reges Aragonię coronantur. Multa de Hiſpaniarum Academijs non ſunt dicenda, quia multum queruntur ſcriptores, vt Ludouicus Viues, & Nauclerus, quod tenuis ſuperſit priſcorum temporum notitia, longitudo 14. 15. lat. 41. 45.

Colonienſis in Germania, vulgò Colen: ad Rhenum fl. inſtituta, ab Vrbano ſexto Rom. Pon. anno Domini 1388. omni artium ac linguarum genere florentiſſima. Libertates & priuilegia ab eodem Vrbano conceſſa fuere, quę habuit priora Lutetia Pariſiorum Colonię mater. Reperiuntur hîc plures quàm 100. ſcholę priuatę, vbi pueri Latinæ, Græcę, Germanicę, & Gallię linguæ rudimenta, literarúmque characteres diſcunt, erudiuntúrque. Maternus D. Petri diſcipulus, vera religione eam imbuit. Floruerunt hîc Rupertus Tuitienſis, Albertus magnus, Thomas Aquinas, Iohannes Scotus. Eſt hîc multa clementia cœli, terráque pluribus referta commodis. long. 23. 28. lat. 51. diſt. 422. Germ. 3. Studium generale. Scholę 100. priuatę.

Complutenſis vulgò Alcala, in regno Caſtiliæ: à Franciſco Ximene Archiepiſcopo Toletano inſtituta, anno Domini 1317. Hæc nomen à complectendo linguas & bonas artes, authore Eraſmo, auſpicata eſt. *Gratulor* (inquit) *Compluto* (ad Franciſcum Vergarum Græcarum literarum profeſſorem ſcribens) *quod duorum præſulum, Franciſci, & Alphonſi fœlicibus auſpicijs ſic efloreſcit omni genere ſtudiorum, vt iure optimo* πάμπλουτον *appelletur*. long. 10. 20. lat. 41. 40. diſt. 664. Hiſp. 2. Studium generale. πάμπλουτον.

Compoſtellana in Regno Galliciæ, vulgò Compoſtella, hodie certè perobſcura. Eſt hîc Epiſcopatus & Hiſp. 3.

Collegium à Carolo Magno inſtitutum. long. 7. 15. lat. 44. 30. Colimbricenſis ſeu Conimbrienſis in Luſitania vulgò Coymbre: propè littus Oceani occidentalis à Iohan. 2. rege Portugaliæ extructa, de qua Iacobus Payua Andradius ad Sebaſtianũ regem ſic loquitur. *Conimbricenſis & loci natura amœniſsima, & omni literarum genere clariſsima eſt Academia.* Longit. 11. 48. lat. 40. 3. diſt. 780. Cracouienſis, Cracouia ſeu potiùs Grachouiẽſis, vulgò Gracaw in Polonia. Hanc à Graco conditam ferunt ciuitatem. Regia eſt Poloniæ, & à Rudy fl. circũgyratur. Hanc primò inchoauit Cazimirus rex, anno 1361. Sed anno 1400. vocatis ex Pragenſi Academia clariſsimis profeſſoribus, quum hactenus obſcura fuiſſet, inſtaurabatur. Hedingis enim Regina moriens, ingẽtem pecuniam reliquit, qua Cracouienſis Academia à Cazimiro cœpta perficeretur. Duo igitur celeberrima Collegia extruxerunt, in quorũ altero Theologi & Philoſophi, in altero iuriſconſulti & medici profiterentur. Hìc Petrus Roirius Lituanicarum deciſionum ſcriptor celeberrimus, Iuriſprudentiam ſe docuiſſe profitetur. long. 37. 50. lat. 21. diſt. 951.

Hiſp. 4.

Pol. 2.

2. Collegia.
1 Theologia. Philoſoph.
2 Ius ciuile. Medicina.

Dilingana, vulgò Dilingne, in Bauaria ſuperiori. Hanc Otto Truchſes Cardinalis Auguſtanus Germaniæ protector, pro ſuo ſingulari erga religionem & bonas artes amore, maximis ſumptibus erexit: vt in ea ſacra Theologia & literæ humanitatis traderentur. Nihilque optimus princeps prætermiſit, quod ad rei literariæ inſtaurationem, & ipſius Academię ſplendorem, bonorúmque ſtudiorum (quæ tantopere neceſſaria animaduertebat) promotionem pertinere videbatur.

Germ. 4.

Theol.
Literę humanę.

Dolana vulgò Doll. in Burgundia: vetus quidẽ eſt, ſed circa annũ Domini 1484. florere cœpit. Ibi pro toto comitatu celebratur Parliamentum. Ad hanc complures ex Gallia confluunt ſtudendi cauſa: ſuperiori-

Gal. 7.

bus annis frequentes huc migrarunt ex alijs Academis, tam doctores quàm discipuli. long. 21. 25. lat. 45. 10. dist. 579. Duacensis in Belgio, vulgò Douwa, superioribus annis à Philippo 2. instituta, vbi omne artium & linguarũ genus doctissimi viri docerent: Gallicę quoque linguæ studiosi, non minorem discendæ quàm in ipsa Gallia haberent occasionem. Eam etsi Rex satis liberaliter dotarat, optimorum tamen hominum fundationes accesserunt, vt nihil quod ad florentissimi Gymnasij gloriam pertinet, in eo nunc desideretur. Abbates duo collegia exædificarunt: quorum alterum Merchense, alterum Aquæcinctense vocatur, ijs de societate Iesu dicata. long. 24. 30. lat. 50. 20. Eburensis siue Eburacensis in Lusitania, nuper ab Henrico Cardinale Lusitaniæ eiusdémque ciuitatis præsule constructa. de qua Iacobus Payua sic scribit: *Quod si Academiarum* (inquit) *gloria magis literarũ & virtutum splendore quàm antiquitate constat, hæc certè paulò ante cõstituta, cum antiquissimis & toto orbe celeberrimis iure poterit certare.* long. 6. 15. lat. 38. 0.

Germ. 5. Studium generale. Hisp. 5. Germ. 6.

Erphordiensis, vulgò Erffort, antiquitus Erphelphurt, in Thuringiæ prouincia: à Dagoberto Francor. rege circa an. 1391. fundata, & à Bonif. 9. & Pio 2. varijs priuilegijs honorata. Hanc diuersis temporibus viri doctissimi, vt Hen. de Erphordia, Conradus de monte puellarum, Nicolaus de Bibera, & alij multum illustrarũt. Maxima Germaniæ vrbs est. long. 28. 30. lat. 51. 54. dist. 822. Elmstadiana, vulgò Elmestad. in ducatu Brunswicensi, quam ante 14. annos Iulius Dux Brunswicensis fundauit, à quo etiam Iuliana dicitur. Ferrarienſis, Ferraria, in Rhomandiola seu Gallia togata. Sũt qui Fredericum Imp. hanc Academiam in odiũ Bononiẽsiũ instituisse putãt. Raphael verò Volateranus, Bartholomæus inquit Salicetus, an. 1316. ab Alber. Ferra-

Germ. 7. Ital. 3.

riæ Principe accerſitus eſt, vti nouam in ea ciuitate Scholam auſpicaretur. Quam à Bonifacio 8. confirmatam, illuſtriſſimi Eſtenſes pro egregia ſua in bonas artes literatóſq; voluntate, mirificè exornarunt. Hîc floruit Angelus Aretinus celeberrimus Iuriſconſultus, Felinus Sammeus, Andreas Alceatus, Guarinus Veronenſis, Theodorus Gaza, Cælius Calcaguinus, Nicholaus Leonicenus Petri Bembi præceptor. Germanos etiam erudiuit, qui omne doctrinarum genus cum gloria in patriam referrent chariſſimam. Inter quos nõ poſtremum locum obtinet Rodolphus Agricola Philoſophus, Rhetor, Poeta & Theologus celeberrimus. Iohannes etiam Coclæus Sacræ Theologiæ doctor. Leander Abertus ſic paulatim auctam Academiam ornatámq; ſcribit, vt vel inter præcipuas Italiæ meritò referri queat. long. 32. 15. lat. 44. 23. diſt. 951.

Ital. 4. Florentina in Hetruria ſeu Tuſcia, vulgò Florence: flos vrbium Italicarum. Hanc vnam ex 12. Ianigenarum vetuſtiſſimis colonijs, quæ primo bonas artes in Italiam introduxerũt, eruditi ſcriptores affirmant. Clariſſimus princeps Coſmus Medices pater patriæ dictus, ex media Græcia doctos viros magnis præmijs euocauit, qui ſtudia literarum vendicarent. Huc Germani ſuos ſolent pueros ablegare, vbi acumen & humanitas ciuium plurimùm conducunt. Fuit hîc olim Bibliotheca omnium celeberrima. long. 33. 30. lat. 43. 4. diſt. 1060.

Germ. 8. Francfordienſis, vulgò Francfort, in Marchia Brãdeburgenſi ad Viſurgin Flu. conſtructa ab illuſtriſſ. Principe electore Ioachimo ex Lipſenſi anno 1506. alteri 1206. ab Alexandro 6. Pont. & Iulio 2. & Maximiliano 1. Imp. varijs priuilegijs ornata. Primus Cancellarius fuiſſe putatur Theodorus de Bulan Lebuſenſis

sis episcopus. Rector Conradus Winpina Theologus. long. 32. 34. lat. 52. 33. dist. 588.

Friburgensis, vulgò **Friburg**, in Brisgoia Rhetia ab Austriaco erecta, anno 1460. vel vt alijs videtur 1450. Quæ anno 1467. non solùm leges & statuta, verumetiam Theologiæ & Iuris Canonici, atque ingenuarum artium professores Vienna euocauit. Tandem sub Frederico Imp. Rom. anno 1472. non parum instaurata & aucta est. Floruit hîc Vdalricus Zasius Iurisconsultus. long. 34. 38. lat. 48. 13. dist. 565. Germ. 9.

Gandiana in Regno Valentinæ, quam illustrissimus Gandiæ dux nuper erexit. Hisp. 6.

Glasconiensis, vulgò **Glasquo**, in Scotia, seu Glasquensis, à Turubullo Episcopo instituta anno domini 1454. Hanc parum dotatam, parúmque celebrem scribit Iohannes Maior. long. 16. 43. lat. 59. 40. dist. 285. Scot. 3.

Granatensis, vulgò **Granado**, Ptolomæo Ilberis in Hispania Betica, instituta ante paucos annos, circiter annum domini 1554. Ad quam stabiliendam, plurimum iuuit dominus Petrus Guerrerius, eius vrbis Archiepiscopus. long. 8. 34. lat. 39. 50. dist. 902. Hisp. 7.

Griswaldensis seu Gripswaldensis, vulgò **Gripswald**, in ducatu Pomeraniæ, ab Vratislao 9. Pomeranię duce instituta, anno domini 1456, aut 1457. vt scribit Bentherus in Ephemeridum historia: licèt quidam eius institutionem, non tam ipsius Principis, quàm cuiusdam doctoris & proconsulis liberalitati ascribere videatur. Hanc Philippus Pomeranorum dux instauravit, anno dom. 1547. long. 31. 56. lat. 54. 18. dist. 722. Germ. 10.

Daniæ Regnum in fide Christiana, vnà cum Sueuia institutum, tempore Christierni Regis & Eugenij 2. Pon. Max. vt scribit Saxo Grammaticus.

Academia 1.

Daniæ 1. HAfnienſis ſeu Haſnienſis, vulgò **Coppenhagen**, à Friderico 3. Danorum Rege inſtituta, anno domini 1539. deinde à Chriſtiano electo Rege inſtaurata, de qua fortè loquitur Iouius, quando Colenam omnium diſciplinarum Gymnaſio inſignem eſſe ait. Ornatur ciuitas hæc arce Regia. Scribit alius Hunoldum hanc inſtituiſſe Academiam, anno domini 1540. long. 35.29. lat. 56.30. diſt. 853.

Gymnaſium generale.

Germ. 11. Heidelbergenſis in comitatu Palatino Rheni, vulgò **Heidelberg**, inſtituta à Ruperto 2. Palatino Rheni, anno domini 1346. alij 1210. Munſterus lib. 3. hæc habet verba. *Rupertus ſenior dux Bauariæ, princeps Palatinus Rheni, anno Chriſti 1346. fundauit Gymnaſium Heidelbergenſe, vbi temporum ſucceſſu in omni ſcientiarum genere floruerunt docti. Ego quoq; an. 1524. vſque ad annum 1529. primus Hebraiſmi Profeſſor, publicè ibi ſacram linguam docui, &c.* Vrbanus 6. inſtar Pariſiorum confirmauit. Floruit hîc Marcilius. Rodolphus Agricola de literis hîc bene meritus reconditur: vt ex Epitaphio conſtat ab Hermolao Barbaro conſcripto: Conradus Pellicanus & Rodolphus Agricola Ruperti alumni.

Gymnaſium generale.

Inuida clauſerunt hoc marmore fata Rodolphum
Agricolam, Friſij ſpémque decúſque ſoli.
Scilicet hoc vno meruit Germania, quicquid
Laudis habet Latium, Græcia quicquid habet.

Long. 25.38. lat. 49.45. diſt. 444. Marcilius de Ingen, quem Angli ſuum prædicant, in diuinis Scripturis exercitatiſſimus, & in ſeculari Philoſophia nobiliſſimè doctus, primus Heidelbergenſis Gymnaſij Plantator.

Hiſp. 8. Hiſpalis ſiue Ciuilia, vetus eſt vniuerſitas & vrbs opulenta,

pulenta, vt teſtantur Nauclerus, Volateranus & Platina. Hinc Auicenna Medicus & Philoſophus, & Leander, qui ſua eruditione & induſtria Hermegildum, & Richardum Gotthorum Reges, ab Arriana hæreſi ad Catholicam religionem reduxit. Hinc Iſodorus Hiſpalenſis Epiſcopus. Eſt hîc etiam Bibliotheca bene ornata. long. 7. 15. lat. 37. 0.

Ilerdenſis vulgò *Lerida*, Ptolomæo Ilerda, in Hiſpania Tarraconenſi, ſeu regno Arragoniæ, celebris quidem & vetus eſt, cuius meminit Flaccus hoc verſu. Hiſp. 9.

Aut fugies Vticam aut vinctus mitteris Ilerdam.

Iul. lib. 1. de bello ciuili Ilerdam appellat. Hîc Calixtus Pont. 3. vtriuſque iuris doctor creatus eſt & publicè legit. Hîc Vincentius ſacræ Theologiæ magiſterium accepit. Petrus Roirius Lituanicarum deciſionum ſcriptor, Ilerdæ Iuriſprudentiæ operam dedit, vt deciſione tertia fatetur. longitudo 56. latitudo 41. 46 diſt. 722. Ius vtrumque. Theologia.

Ingolſtadienſis, vulgò Ingleſtad, in ducatu Bauariæ. Hanc ex Viennenſi Academia ortam Annales Viennenſes teſtantur, anno domini 1410. alius annotauit annum 1210. Ludouicus dux, anno 1459. egregia ei priuilegia à Pio 2. impetrauit, & maximis honoribus atque præmijs viros doctiſſimos huc ex celeberrimis Gymnaſijs euocauit. longitudo 29. 6. lat. 48. 42. diſt. 698. Germ. 12.

Lipſenſis in Miſnia, aliâs Liptzuig: Oſtia vulgò Oſtland. Hæc orta eſt ex Pragenſi, anno domini 1408. Hanc inclinatam & penè collapſam, Georgius illuſtriſſimus dux Saxoniæ, anno 1408. reſtituit. Quod optimo Principi Eraſmus & Petrus Moſſellanus ſummæ laudi aſcribunt. Petrus Moſſellanus Græcarum Germ. 13.

literarum

literarum erat in hac Academia profeſſor. long.29.50 lat.51.14.diſt.675.

Germ.14. Louanienſis vulgò Louen. Iohannes dux Brabantiæ hanc inſtituit,anno domini 1426. Hæc ex Colonienſi procreata fuit.Eraſmus epiſtola quadam ad Ludouicum Viuem,*Nulla* (inquit) *me res inuitauit, vt Louanium commigrarem, niſi cœlum ſalubrius,& locus amœnior.* Academia modò aliquanto inclinata.long.20.36.lat.59.59.diſt.340.

Gall.8. Lugdunenſis ſeu Logodunenſis Batauorũ, Leeden, propè Occidentale Rheni oſtium inſtituta reperitur, anno domini 830. At penè collapſa reſtaurata videtur, à Gulielmo Auraſino principe an. domini 1574. Floruerunt hîc Nicolaus Leonicenus, Iodocus Badius, Iohannes Gerſon,Petrus Toletus, Bartholomæus Argentirius Medicus.long.26.40.lat.53.30.diſt.518.

Germ.15. Marpurgenſis, vulgò Marpurg, in Haſſia, erecta anno domini, 1526. vt teſtantur Chronica Germanica. Sed anno 1535. à Philippo Principe Lantgrauio inſtaurata eſt.long.25.45.lat.51.diſt.518.

Gal.9. Maſſilienſis olim ſic Græcis Latiniſque literis abundabat,vt non Galli modò eam admirarentur,atq; ad eius inſtituta & mores ſuam vitam libenter componerent,verumetiam Itali huc potiùs quàm ad ipſam Græciam proficiſcerentur.Hanc D.Hieronymus encomio à trilingui celebrat, & Galliam ſtudijs florentiſſimam appellat. Hanc Romani mirificè ſemper honorarunt, & Cicero à multis commendat virtutibus. Huius meminerunt Iul.Cæſar,D.Hieronymus epiſtola ad Galatas,Cicero in oratione pro Flacco. Item 8. Philippica in M.Antonium.Item Philippica 13. Item Strabo lib. 4. & Iuſtinus hiſtoricus præclara de hac vrbe ſcripſit. long.24.30.lat.43.10.

Gallia florentiſ.

Maiori-

Maioricana in vrbe Malorca, insulæ quæ altera est Palearidum Metropoli, Lulliana dicta à Raymundo Lullio, qui ibi natus & educatus est. Atque in hodiernum diem fouetur illic magno stipendio, vir doctus, qui Lullianam doctrinam profitetur. Crescit hîc optimum oleum. Fiunt hîc casei, qui præstant omnibus qui væniunt Romæ, aut Athenis. longitud. 16. 45. latit. 39. 15. dist. 834. Hisp. 10.

Mediolanensis, vulgò Millan in Longobardia, Academia antiquissima. Floruerunt hîc Virgilius Maro, D. Augustinus, S. Ambrosius. At priorem habuit Theologiæ professorem S. Barnabam Apostolum. Hermolaus Barbarus, Franciscus Philelphus, Georgius Merula, Cælius Rhodiginus, Hieronymus Cardanus, Iason iurisconsultus, omnes hîc literis claruerunt. Leander Bibliothecam hîc inter celebriores Italiæ numerat. long. 28. 20. lat. 45. 6. dist. 793. Ital. 5.

Messana Siciliæ Academia florentissima. Eam Raphael Volateranus Scholam Siciliæ magnam vocat, quæ præstantissimis iam inde viris ab initio abundauit. Floruerunt hîc Dicearchus & Aristocles Philosophi. Aristocles elegantem disputationem reliquit, vter esset studio & doctrina prior Homerus an Plato. Præclarum & dignum memoria est, quod de Ibyco poeta Messaneo scribitur. Hic à latronibus comprehensus, quum occideretur, grues superuolãtes obtestatus est, vt mortem suam vlciscerẽtur. Aliquanto post tempore, quum ijdem latrones in foro assiderent, rursumque Grues superuolarent, per iocum inuicem susurrabant in aurem, adsunt Ibyci vltores. Hunc sermonem quidam astantes ciues in suspicionem rapiebant, desiderato iampridem Ibyco, rogantes quidnam ista sibi oratio vellet: ipsi hęsitantes, & variè, vt fit, respondentes, tormentisque subSicil. 2. Schola magna.

iecti, facinus confessi sunt, ac Gruum iudicio Ibyco pœnas dederunt. Hic Iohannes Gatius Cephaleditanus, teste Mario, tantus Theologus euasit, vt profiteretur audere se libros sacros iterum, si perirent, posse se restituere per Dei gratiam. Longitudo 40. 30. latit. 38. 30.

Germ. 16. Moguntina, vulgò Mentz, Germanicarum ferè antiquissima. Cuius laudem immortalem nulla ætas conticesceret, quòd artem imprimendi quam typographicam dicunt, maximè necessariam inuenerit, circa annum Domini, 1459. vnde illud:

Ars imprimendi in Angliam delata. 1471.

Imprimit ille die quantum vix scribitur anno, &
O Germania muneris repertrix,
Quo nihil vtilius dedit vetustas,
Libros scribere quæ doces premendo.

Dietherus Isenburgus Archiepiscopus, Academiam instituit, anno 1482. long. 25. 4. lat. 50. 8. dist. 520.

Gal. 10. Montispessulana in Narbonensi Gallia seu prouincia Tolossana, vulgò Mompelier, olim Iurisprudentiæ, nunc Medicinæ studio floret: anno Domini 1196. exorta scribitur. Verùm quum anno 1352. magnus studiosorum concursus fieret, ita vt ciues nimis charè domos locarent, pulchrum fuit illud Caroli 8. decretum datum mense Maio, anno Domini, 1437. regni 15. Rectoris hîc maxima est authoritas, Long. 20. 46. lat. 43. 5. dist. 575.

Ital. 6. Iurisp. Mutinensis in Italia, vetusta est, post Bononiensem, vbi olim Iurisprudentia floruit insigniter.

Gall. 11. Nauntes in ducatu Britonum, seu Brutannia superiori versus oceanum Cantabricum, vulgò Nauntz. Long. 1. 6. lat. 48. 12. dist. 268.

Gall. 12. Numicensis in Gallia Narbonensi siue Delphinatu erecta, nostra tempestate.

Neapo-

Neapolitana antiquiſſima, Pythagoræ tempore florentiſſima, propterea{que} à Romanis ſemper honorata. Strabo lib. 5. Geogr. *Plurimi* (inquit) *è Roma ſeceſſum facientes, victum Græcanico ritu perducunt, aut quietis aut otij gratia, præſertim qui eruditioni dant operam, aut remiſſioris vitæ deſiderio, & quos ſenectus affligit & aduerſa valetudo.* Ritus quoque & educationis Græcorum extant hoc in loco plurima veſtigia, Gymnaſia ſcilicet, puberum cœtus & Græca vocabula. Non ſolùm Italiæ, ſed totius orbis terrarum pulcherrimam eſſe plagam Campaniæ, ſcribit Eutropius. Vnde Principum, Ducum, Marchionum, Comitum, Equitum, Doctorum, Baronũ, ac Nobilium hominum, & eiuſdem conditionis Mulierum, plena confertáq; adeò Neapolis eſt, vt pauciſſimas orbis terræ huic exæquari poſſe incolarum nobilitate ſentiam. Hìc Virgilium Georgica ſcripſiſſe Parthenopénq; appellaſſe ſcribit Seruius. Hìc Horatius & Lucilius poetæ morati eſſe dicuntur. Hìc Th. Aquinas, Fran. Petrarcha, Aulus Gellius, per feriarum tempus æſtiuarũ, Neapolim concedere cum Iuliano Rhetore ab vrbis æſtu ſolebant. Fredericus 2. gymnaſium hìc inſtituit, ampliſsimíſque ornauit priuilegijs. Centum verò poſt annos, Robertus rex ſapientiſſimus illam inſtauravit. Poſt 100. alios annos Alphonſus Aragonum rex nonnihil collapſam reſtituit. Long. 39. 30. lat. 41. 0. Ital. 7. Antiquiſſi.

Onnedenſis in Cantabria, ſeu Onneteſis, quam non multos ante annos erexit Abulenſis Epiſcopus. Hiſp. 11.

Oſcana in regno Aragoniæ, tantę vetuſtatis, vt referente Plutarcho, Sertorius erexiſſe creditur ante Chriſtum natum, vt Aragoniæ iuuentutem bonis literis ibi excoleret. Hiſp. 12.

Oſſunenſis in regno Granatenſi erecta, à comite de Vrenna, noſtra ætate. Hiſp. 13.

Angl.3. Oxonienſis ciuitas auguſta, literata, & Regia ab antiquis diebus inter Academicas vrbes meritò venit numeranda. Huius originem bona cum lectoris venia liceat altiùs repetere, quia paulùm controuertitur tam de antiquitate quàm de nomine, & variæ ſunt ſcriptorum opiniones. Oxoniæ vrbs Caer Memprice, Caer Vortiger, Caerboſo, Calena, Rydichen, Drenford, modò Orford, Latinè Oxonia vetus eſt & noua: Sicut in agro Oxonienſi Woodſtocke nouum, Sarisburia noua, Windſore nouum, & in Hamptonenſi prouincia Wulfford nouum reperiuntur. Oxonia autem vetus illa, vbi multis ante Aluredi inſtaurationem retroactis annis, celebre fuit Gymnaſium: longo iam tempore antiquata, citra Iſidem in Septentrionem porrecta (vbi circuitus ſeu priuilegiorum Academiæ fines & metæ vltimæ longiſſimè extenduntur) ad ſerenantem Eurum poſita, ita longè conſpicua, vt ad decem aut duodecim millia paſſuum planiſſimè diſcernatur (etſi in valle ſubſidat) prĕliorum tempeſtatibus & temporum diuturnitate concuſſa intercidit. Noſtra tamen ętate Belloſitum, Beumonte, & campi de Bellomonte, Schola Indeorum, & Pariſienſis, vetuſtiſsimáque Muſarum domicilia, vt Aula Grecoladienſis ſiue Grekehall, & ſedes auguſtæ, quæ nominatim appellantur, ex patrum nobiliſsimorum mouumentis, ipſiſque ruderibus hodie conſpicienda viſuntur. Antoninus, Polydorus, Lelandus, & Hiſtorici plures, modò Icenos, ſæpè Iſiacos hunc Oxonienſem populum ſcriptis celebrarunt, nunc fortiſsimos, aliquando doctiſsimos appellarunt. Et (ſi coniectari aliquid liceat) quod ſępiùs aduerti prĕter morem Fluminum noſtrorum Brutannicorum, Iſidis amnem Hyberna tempeſtate in altum

altum prouectum, ſtringente glacie, ita longè latéque in agrum Oxonienſem excurrentem vidimus, vt præter aquas amnicas & glaciem continuam, ad duo millia paſſuum vix glebam aliquam, aut terram aridam poſſis diſcernere: quem Anglico vetuſto verbo Iſe dicimus, vnde Anglis forſan antiquitus, the Riuer of Iſe. Vrbs ipſa vnà cum Academia veteri quibus orta ſit fundamentis, ipſa tacet vetuſtas & ſeculorum memoria ſilet. Certiſſimè conſtat apud ſcriptores, 400. hinc ampliùs annis ad Iſidis Flu. ſeu vadum Iſidis more antiquiſſimarum Academiarum Ouſney, vel Anglico vetuſto verbo Duſeneg, modo Dſene ſtatuiſſe authores. Sic Ouſeford apud Auſtrales Brutannos eodem tempore fuiſſe extructum, quo fuit apud Septentrionales Eboracum. Quæ modò floret, ſtat, & viget Oxonia, æterna, & inuicta pace, literis Academicis celebris, nunc intra muros coacta, ad violentos bellorum furores fœliciùs & meliùs declinandos: cùm propter cœli clementiam, tum ob aeris temperiem, maieſtatem loci, ædificiorum ſplendorem, optimarum denique artium ſacroſanctam profeſſionem, auguſtam, & æternam, non ſolùm inter primas & antiquiores maioris Brutanniæ vrbes & Academias, ſed etiam totius Europæ & Orbis meritò debet cenſeri. Cenſuram hanc probant, & Synodus Eccleſiaſticæ, & priuilegia Regum, & domeſtica conſilia quæ nos Parliamenta vocamus, quibus Reipub. grauiſſima tractantur negotia. Hîc enim Principes naſci, ſedere, inaugurari, & res maximas agere multùm conſueuere. At poſtquam loci oportunitatem ſtudijs accommodam, & literis florentem Reges aduerterunt, Londinum ſecedere, & ad Regiam ſe conferre maluerunt. Varient quantumlibet authores de antiquitate, dum alij origi-

nem deducant ab anno 756. vel 850. siue 873. aut 895. interim admonitos volo de restauratione, non de originali (vt verbo vtar) institutione cogitent. Vbi intestina bella, ciuilésque tumultus iacuere, vbi tempestuosa illa Heptarchia subinuicem multùm rebellis, in pacatissimam Monarchiam transijsset, tum sensim emergere, & altas agere radices, & literæ, & Academiæ cœperunt, sub Aluredo illo magno & verè maximo, ad literas nato, Australium & Occidentalium Saxonum Monarcha inuictissimo, anno Christi 873. vel vt alijs videtur 895. quando vniuersitatis Collegij prima iacta sunt fundamenta, *AVLA VNIVERSITATIS MAGNA* appellata, quasi cæteris prioribus, pusillis, & minoribus longè prælucens. At qualis qualis fuerit, veteribus Brutannis recentior ista ab Aluredo instaurata, in ipso statim ortu erat florentissima. Sed meliùs mihi sensit Antiquarius noster studiosissimus, qui à primis initijs, fontem aquæ vitæ, & veritatem ipsam hausisse videtur, qui in hæc verba sententiam effatur.

Prudens (ait) *antiquitas (vt in Annalibus nostris legitur) hanc vrbem Brutannico sæculo Musis consecrauit, quas Græcolada huc, tanquam in fœlicius plantarium transtulerunt. Quum tamen insequens ætas Saxonica, vrbium euersionibus continenter decurreret, pientissimus Rex Alphredus magnus (quem magnum rerum gestarum magnitudo & vera gloria testantur) Musis iamdiu exulantibus sua adyta restituit, tribus constructis collegijs: Grammaticis vno, Philosophis altero, Theologis tertio, vbi nunc florentissima Oxonia noua resplendet.* Et memineris quæso (Lector Candide) vt omnium rerum est vicissitudo, sic numerosæ sunt Academiarum translationes, euersiones, & desolationes. Et sicut literarum triste fuit aliquando exi-

exilium: ita luctuosum nimis subsecutum est spectaculum, quando illinc Saxones obuia quæque prosternebant, hinc Dani prædatorio incendio singula permiscebant. Inde verò ad Gulielmi vsque Normanni tempora desertæ iacuerunt Athenæ nostræ nobilissimæ, quæ postmodum ex multorum Principum & Præsulum beneficentia, amplissimis structuris, redditibus, & priuilegijs ornantur. Inter cætera siue artis seu naturæ opera stupenda, consita est hîc schola magnifica, sacrarum literarum prælectioni destinata, augustissima certè, & (si est vspiam in Orbe terrarum) sacratissimæ Theologiæ amphitheatrum splendidissimum. At vix me contineo præ lachrymis, nec sine acerbo dolore refricare valeo temporum præteritorum memoriam, imo violentiam, & barbaram immanitatem in commune bonum. Inclamant sacræ literæ, *Væ homini per quem venit scandalum.* Exclamet Academia, tantum bonum eripi sibi è manibus in commune malum. Vah hominem importunum, infœlici sydere natum, qui nobis tantam fœlicitatem inuidit, quum nihil ad extremam feritatem feciſſet reliqui, nec sacris aut sanctis ipsis parcens, ascendens in Gazophilacium nostrum, in asylum sanctissimum, vbi mille myriades, vbi veterum monumenta à patribus nobilissimis longissimè conquisita, ex Italia, Græcia, & Europa doctissimis deportata, ab antiquarijs grauissimis altissimè recondita: vbi sacra Mysteria, Sancta Sanctorum, sapientia Dei patris, Hebræorum Cabala, Ceremoniæ, ritus sanctissimè asseruabantur in sanctuario nostro: illuc (facinus indignum) furor hominis permistus cum malitia priuata penetrauit, in contemptum & inuidiam (vt credibile est) literatorum nostrorum, diripuit,

dissi-

diſſipauit, & ita miſerrimè exterminauit omnia, vt non rectè in nos quadret Virgilianum illud Poema: *Nunc Seges eſt vbi Troia fuit.* Imo nec ſegetes nec frutices, nec granum aut herba iam naſcitur, vbi olim Muſæ conſederunt: vbi fontes olim caſtalei ſcaturientes, florentiſſimam hanc noſtram Academiam quaſi nectare & Ambroſia cœlitus irrigarunt, & lactarunt copioſiſſimè, illic nunc barbaries horrida & inculta, illic Philoſophi monſtrum horrendum, & naturæ portentum, vacuum habitat. At vos Patres, vos Principes, vos Proceres, vos Heroas appello, in chariſſimam hanc matrem veſtram omnium intuemini, deſolatam conſolemini, Græciæ Lumen, Europæ Solem, Mundi animam, & veſtrum hanc omnium ſpartam excolite & exornate. Nunc ad reliquas liberalium artium Scholas, ſecundùm claſſes ſuas ordine diſpoſitas accedamus. Succedunt in proximo vicinio, in eadem platea, extra tumultum & concurſum populi longè ſemotæ, liberalium diſciplinarum Scholæ: Grammatices, Rhetorices, Dialectices, Arithm. Geom. Muſic. & Aſtronomiæ. Singulæ loco debito ordinatæ, ſatis amplæ & nitidæ: Vbi lectiones, prælectiones, & Gymnaſtica exercitia multùm laudanda, rariſſimè, & nunquam ceſſant aut ſilent. Collegia ſunt 16. auguſta, & magnifica, antiquitus fundata. Quorum magnificentiam, & auguſtam, imò præcellentem maieſtatem, ſi quis æquus rerum æſtimator velit iuſto iudicio examinare, vix alias deprehendet Muſarum ſedes cum ijs conferendas. Aulæ modernæ 8. Plæræque aliæ vetuſtate collapſæ attritæ ſunt: Quas Edwardo tertio clariſſimo Principe regnante, literarum patrono beniguiſſimo, (præter Collegia quæ tunc floruerunt) 140. fama celebres extitiſſe conſtat. Quibus olim 3000. ſtudio-

ſtudioſorum, vel vt ſcribit Armachanus, triginta millia ſimul floruerunt. Quarum amplitudinem, nomina, numerum & veram gloriam ſpero indies auctam iri, opera & induſtria Antiquarij noſtri, qui nullum non mouet lapidem, nullis parcit vigilijs aut labori, vt veritas ipſa iamdiu deliteſcens, è latebris tandem prodeat in apricum, & lucem videat clariſſimam. Tanta fuit eruditorum copia, vt Matthæus Pariſienſis, vniuerſitatem Oxonienſem, ſecundam à Lutetia Eccleſię ſcholam, imò eccleſiæ fundamentum diſertè appellarit. Inde celebre illud doctiſſimorum de Oxonienſibus elogium, quos acutiſſimos Anglorum Theologos, ſimul & Pariſienſium Sorboniſtas Lynceis oculis diſpellentes Hæreſeon errores affirmant. Singula quæ hodie extant, ædificiorum ſplendore ſunt magnificentiſſima, ac bonarum literarum artiúmque omnium ſtudijs florentiſſima. Vbi proximè ſecundùm Maieſtatem, ad prima ſedet gubernacula nobilis eques auratus, Georgiani ordinis miles, magnus Angliæ Cancellarius, Oxonienſis olim alumnus, dominus Chriſtophorus Hattonus, ſereniſſimæ Angliæ, Franciæ, & Hyberniæ Reginæ literatiſſimæ, præpotenti totius Europæ virgini & dominæ à ſecretioribus conſilijs, more ſolemni cum lectiſſimorum corona inauguratus in Archicancellarium Oxonienſis Academiæ, luce altera & ſecunda Octobris, ſalutis & gratiæ 1588. anno ſurſum ab Orbe condito 5550. Huic pro Cancellario ſedet, grauitate, modeſtia, & optimarum artium cognitione inſignis Sacræ Theologiæ D. Collegij Magdalenenſis Præſes.

Prælectores ſunt in Sacra Theologia ſtudioſiſſimi tres: Hollandus, Cradocus, & Rainoldus, multarum vigiliarum, & lectionis plurimæ doctores. Iuriſpru-

dentiam docet Gentilis, homo Italus & disertus. Medicinæ facultatem profitetur florentissimus D. Aileworth, Cathedram suam ornans. Accedit hijs iure suo optimo numerandus, de Academia ista præclarè meritus, Philosophus, & Medicus scientissimus, Casus, nulli secundus, initiatus in doctoratus gradum proximis comitijs celebrandis, qui multis retroactis annis, facultatis suæ laurum meruerat. Deinde succedunt præter omnem aleam & sortem, vnanimi consensu ad Magistratum delecti, Procuratores Hardingus Magdalenensis, & Kingus Collegij Christi, lectissimi iuuenes. Ijs proximè accesserunt (dum hæc scriberentur) in Magistratu anno publico suffragio declarati, Colmerus Mertonensis, & Iueleus Exonienſis, adolescentes fortunati, & optimæ spei in Repub. bene literata. Mathematici Oxonienses, hanc suam vrbem 22. partibus ab Insulis fortunatis abesse, polum verò Borealem 51. gradibus, 50. scrupulis sublimem attolli obseruarunt. Sanctum etiam Richardum olim Oxonienſi Academiæ præsedisse Cancellarium annotarunt.

Hæc est illa Academia celebris, & antiqua, modò quasi Palma floreſcens, quę vbi sereniſſimæ Anglorum Reginæ, in extremis vrbis finibus, à ciuitate augusta longè remotis occurrisset, conuenientibus eò grauissimis patribus togatis, sex postea continuis diebus, cum non mediocri omnium applausu, augustiſſ. Europæ Principem, Insularum clarissimam Phœnicem, Gentisque suæ Eboracensem, & Lancastrensem Rosam florentissimam vidit, audiuit, & oculis contuebatur, in concionibus, in Gymnasticis disceptationibus, in spectaculis Theatricis, astantem, prę sentem, moderātem, disertis denique verbis eloquentem, & in eruditissimorum corona pronunciantem ad hunc modum: *Qui ma-*

le

le agit, odit lucem: Et cætera in Archiuis noſtris inter aurea mala ſacratiſſimè & altè repoſta. Quia ego puer ſum Oxonienſis, vt dicit Apoſtolus, & neſcio loqui Principis huius extra doctiſſimorum coronam, ſupra captum vulgarem, ſapientiam inauditam, Maieſtatem pluſquam humanam, virtutem, prudentiam, & doctrinam ſingularem: Deum ergo optimum max. precemur, vt ſicut hactenus, cœleſtis inſtar beneficij claritatem tuam procreauit nobis, incredibili virtute illuſtrauit nobis, diuina gratia conſeruauit nobis: ita ſemper in poſterum faueat tibi & foueat te, indulgeat tibi & complectatur & cõſeruet te nobis, ad æternam, & Reipublic. & Honoris, & Nominis tui ſalutem & memoriam.

Celſitatis tuæ obſeruantiſſ.
diſcip. M. W.

Hæc eſt illa Academia fama celebri notiſſima, & longiſſimè apud exteras gentes diuulgata, vbi prudens ille, ſolers, & ſagax de Hiſpanijs Legatus Toletanus, cum dies plures diſceptationibus Gymnaſticis, nocte verò ſerotina ſpectaculis Comicis & Tragicis interfuiſſet libenter, probaſſet ſapienter, laudaſſet grauiter, hæc verba publicè palam, & apertè profitebatur, Regiones plures perluſtraui, multa vidi, ſed hæc ſunt admiranda, & ſic referam vbi in Patriam venero.

Habes nunc Oxonienſis Academiæ formam, humaniſſime Lector: quam certè Orator noſter diſertus, ſiue Antiquarius ſtudioſiſſimus, induſtria maiori, & vigilantia meliori potuiſſent exhibere ſpecioſam & præcellentem. Sed mihi conſcius ſum, & eorum labores ac ſudores agnoſco in rebus grauioribus: & vbi paulùm intermiſſum fuerit, dubio procul fœtus tibi edent pulcherrimos. Singula collegia, Academię ritus, normã &

regulas ſtudioſiùs obſeruant aſſiduè legendo, diſceptando, prælegendo Hebraicè, Græcè & Latinè. Aulæ verò noſtræ (quo nomine Principum & nobilium noſtrorum ædes hodie inſigniuntur) Academicis nunc viuunt legibus, vbi antiquiſſimi ſtudioſorum conuentus fieri ſolebant. Modò ad exemplar & regulas victitant Academiæ nouæ & Collegiorum. Olim leges dabant, & Academiam omnem in ſe concluſerunt & multitudinem numeroſam. Eſt & Bidellorum ſeruientium quaſi Collegium & numerus definitus ſenarius. Quorum tres armigeri torquati & annulati aureos geſtant baculos, vnà cum inſignibus & Symbolis Academię & ſcientiarum aureis. Tres alij paulùm ſunt inferiores, argenteos geſtantes bacillos, pompa ſolenni & inceſſu graui omnes Doctores Cathedratos, Procuratores, & Artiſtas præcedentes ad Baſilicam Deiparæ virginis, ad Conciones, Prælectiones, & Gymnaſtica quæuis exercitia ſolennia. Fuit olim Bidellorum aula, ab Antiquario noſtro ſtudioſiſſimo nuper eruta è tenebris in lucem: vnde centenarium & amplius Aularum numerum volente & ſtante ſic Oxonienſi fato celeberrimo ſperamus.

Heroica ſunt clariſſimorum Principum facta calamo perpetuo Cedróq; digna: ſic & optimorum Præſulum Vintonienſium memoriam ſilentio conſopitam tacere nefas eſſet. Vintonienſes dico? neque Colonienſes, neque Treuerenſes, neque Moguntinos, neque Toletanos, neq; Romanos, aut Romani nominis quoſcunque Eugenios, aut Iulios æquiparandos cenſeo, qui antiquiores illas, non Wintoniæ, ſed Oxoniæ præſertim florente Repub. nobiles & amplas ſtructuras erexerunt. Cuiuſmodi ſunt in Venta vrbe antiquitus dicta, modò Vintonia, Anglis Wincheſter: Schola certè auguſta,

augusta, ante 200. ampliùs annos erecta, vt adolescentes suauioribus disciplinis imbuti, ad artes Academicas meliori genio animum intendant. Visitur in eadem vrbe Basilica, splendida olim S. Swithuni, modò Sancti Sanctorum Sacrosanctæ Trinitatis Ecclesia ab eodem Episcopo fundata, ob mirandam, & immortalem dignitatem suspicienda. Sin verò Oxoniam te conferas, primò se offerent omni veneratione digna, Musis sacrata,

Collegium B. Mariæ nouum à Willielmo Wychamo Episcopo Wyntonienſi extructum, anno dominicæ incarnationis 1375. 1.

Collegium D. Magdalenæ sacratum ab Willielmo Wainfleto Winton. Episcopo pulcherrimum, Salutis & Gratiæ 1459. vnà cum Aula & Schola Magdalenensi adiunctis in proximo vicinio commodissimè. 2.

Corporis Christi à Richardo Foxo Præsule Wintonienſi venerando sene, oculis orbo, ingenio valdè sagaci, animo multùm perspicuo, anno Domini 1516. opus absolutum. Erat ab eodem Episcopo schola constructa in Lincolnienſi prouincia, in oppido de Grantham: vt inde tempestiuiùs ad Collegium suum Oxonienſe possent transferri. Plura consulas de eadem fundatione ex epistola Desiderij Erasmi ad Claymondum Præsidem primum doctissimum conscripta, in hæc verba. *Egregiam illam prudentiam suam qua semper publicæ famæ præconijs commendatus fuit Richardus Episcopus Winton. nullo certiore argumento nobis declarauit, quàm quod Collegium magnificum suis impendijs extructum, tribus præcipuis linguis, ac melioribus literis, vetustísque authoribus præcipuè consecrauit. Complures regiones vulgare monumentum aliquod nobilitauit. Ingenti Colosso Rhodus est celebris: Caria Mausoli sepulchro: Memphis Pyramidibus: Guydus* 3.

ſculptili Veneris ſigno: Thebæ magico Memnone. Mihi præſagit animus futurum olim, vt iſtud Collegium, quaſi templum ſacroſanctum optimis literis dicatum, toto terrarum orbe inter præcipua decora Brutanniæ numeretur: pluréſque futuros qui trilinguis iſtius Bibliothecæ ſpectaculum, quæ nihil bonorum authorum non habeat, pertrahat Oxonium, quàm olim tot miraculis viſenda Roma ad ſe pellexit. Præfuit hîc primus doctiſſimus ille Claymondus, qui exquiſitiſſima in Plinium commentaria conſcripſit. Succeſſit deinde Robertus Morwentus Theologus, Præſes tantæ grauitatis, vt quum 40. ampliùs annos Præſidentis loco ſurrogatus, & ipſe optimè præfuiſſet, Oxonienſibus in concione publica Pater patriæ literatæ Oxonienſis appellatus eſt, quum in extremis naturæ laboraret: & ſic fato conceſſit grandi ſenio confectus: vtrique Magdalenenſes alumni. Prælegit illic in Rhetoricis in celeberrima audientium corona, præſentibus illuſtriſſimis Principibus Henrico octauo rege, & Catharina coniuge, Ludouicus Viues, omnis politioris literaturæ ſcientiſsimus. Item Shepreuus 28. annorum trilinguis doctiſsimus fato functus præmaturo nimis. Inde prodiere Reginaldus Polus Cardinalis, Brocus, Iuellus, Chedſeus, omnes literarum gloria florentes.

4. Eſt & Regia Muſarum ſedes, ſiue operis molem mirandam, ſiue ſtructuræ magnificentiam, ſiue ſtudioſorum numerũ, ſiue prouentus annuos pleniùs inſpiciamus, ſi alicubi in orbe Chriſtiano, Chriſto Seruatori dicata à Thoma Volſæo Wintonienſi Epiſcopo, etiam Eboracenſi Archipręſule & Cardinale, anno poſt Chriſtum, 1539. Wintonienſium Præſulum fœtus vltimus, ſed ampliſsimus, & imperfectus. Quem fundo largo, prædijs amplis, & redditibus multis illuſtriſsimus rex Henricus octauus, anno Chriſti, 1546. auctio-

rem

rem reddidit,& longè conſummatiorem.

Si politam operis elegantiam requiramus, eſt propter ſtructuram Collegium omnium Animarum ex lapide quadrato & perpolito in prima vrbis facie, anno Domini, 1437. ab Henrico Chichleo Cantuarienſi Primate erectum,multùm ſpectabile.

Nec ſilentio prætereundum eſt antiqua memoria dignum, eximium illud Gualteri Merton Angl. Cancellarij, Roffenſis Epiſcopi, Collegium Mertonenſe, in agro Surrienſi, ſub Henrico 3. poſitum, deinceps compoſita Baronum ſeditione,ſub Edwardo 1.Oxoniam tranſlatum: modò quaſi laurus vireſcens,impenſis egregijs ſtudioſorum hodie renouatum,tanquam fama renaſcens vires acquirit eundo. 6.

Eſt & antiquiſsimum illud, Academiæ tamen nouæ Collegium Vniuerſitatis, Alphredo natum,& Roberti Polenij opera,fauente Henrico 2.& Richardo 1.eius filio, qui in Academia veteri in lucem æditus eſt,reſtitutum.Sunt & aliæ Muſarum ſedes pulcherrimæ ordine ſuo recenſendæ. 7.

Vt illud Ballioli in Academia veteri, quod Iohannem Balliolum Scotorum Regem, eiúſue parentes & Deruerguillam Principem agnoſcit authorem, anno Domini,circiter 1263. 8.

Collegium Sanctiſsimæ Trinitatis ſacrum (olim Durrhami) in Academia veteri Ballioli Collegio contiguum,anno Chriſti,1556. 9.

Collegium S.Iohannis præcurſoris olim D.Bernardi in Academia veteri,collegio Ballioli conterminum, per Thomam White ordinis equeſtris militem inauratum,anno Domini,1557. Nec ſilentio relinquendum eſt in Academia veteri, Collegium illud antiquitùs dictum Gloceſtrenſe, modò Aula Gloceſtrenſis, at rectiùs 10.

rectiùs Aula S. Iohannis, proximè Isidis vadum in vico quodam appellato Stockwell streete, à Gylberto de Clare Comite Gloceſtriæ extructum (vt quibuſdam videtur) auctum deinde cenſibus & ædificijs Monaſteriorum Abyngdonienſium, Sancti Albani, Gloceſtrenſium & aliorum.

11. Proximè accedunt in Academia noua Collegium Exonienſe, vnà cum Aula Ceruina, à Gualtero Stapleton Exonienſi Epiſcopo fundata, anno Chriſti, 1316. Gaudet tamen hodie cenſibus & numero florenti multum Willielmi Petrei militis inaurati optimè auctum, anno Chriſti incarnati 1566.

12. Collegium Oriale per Adamum Browne Eleemoſynarium Regis, anno Domini 1323. extructum.

13. Collegium Reginæ per Robertum Egliſſield ſacellanum Dominæ Philippæ Reginæ, 1340.

14. Collegium Lincolnienſe cœpit per Richardum Flemingum Epiſcopum Lincolnienſem, anno Domini, 1420. auctum ſub Richardo tertio, per Thomam Rotheram Epiſcopum Lincolnienſem, anno Domini 1479.

Schola Theologiæ opus rariſsimum, per Humfredum Gloceſtriæ Ducem optimum inſtructa & perpolita fuit, Salutis & Gratiæ, 1447.

15. Collegium Aenei Naſi inchoatum fuit per Willielmum Smyth Epiſcopum Lincolnienſem: conſummatum verò per Richardum Sutton Armigerum, anno Domini 1513.

Collegium Cantuarienſe antiquum nomen obtinet Symonis Iſlyp Cantuarienſis Archipræſulis, anno Chriſti 1353. hodie tamen Chriſti Collegio adhæret.

16. Poſtremò iam loco venit numeranda noſtris hiſce diebus inchoata per Hugonem Priſium legum Doctorem

rem Musarum sedes Iesu sacra, sed imperfecta. Omnia deniq; sunt Regum, Principum, Prę sulum, & Nobilium (vt anteà dictum est) Heroica Musarum monumenta Deo patri, Christo Seruatori, Spiritui sancto, & gloriosissimæ Trinitati in gloriam & omnem æternitatem consecrata.

ACCIPE NVNC HVMANISSIME LECTOR SI PLACVERIT, Collegiorum nostrorum nomina, numerum, & authores, versibus sic breuiter à Stellato Poeta nostro conscripta.

INcipe Christe, tuum primo venit ordine templum,
Nobile ab Henrico: Christi de corpore Foxo:
Trina domus Popo: Baliolia condita Scoto:
Structa Stapletono, restructa Exonia Petro:
Regia Eglisfeldo: Lincolnia sacra Flemingo:
Illa Chichelleio cunctæ cui nomen & omen
Dant Animæ: Alphredo referenda Academia magno:
Vos noua Wicchamo, vos Magdalanensia tecta
Præsule Wainfleto: vos Mertonensia vestro
Mertono celebranda: & vos Oriallia Browno.
Smythe tuas Nasus commendat aheneus ædes:
Téque tui ante alios laus maxima White Iohannis.
Desine Christe: manet Prisio inchoatus Iesus.

CHRONOGRAPHIA SIVE ORIGO COLLEGIORVM OXONIENSIS ACADEMIAE,

vnà cum descriptione eorundem, ad Serenissimam Elizabetham Angliæ, Franciæ, Hyberniæ Reginam, &c. conscripta. 1566.

1. *ECCESIA CHRISTI* cœpit sub Henrico octauo per Thomam Woolseum Archiepiscopum, anno Domini 1529. absoluta est ab Henrico octauo anno 1546. D. Iames Ecclesiæ Christi præsidet Decanus.

PRima stat Australis domus ampla Ecclesia Christi,
Primo tam duplici nomine digna loco.
Tum quia te patrémque tuum sit nacta patronum,
Tum quia sit reliquis auctior ista cohors.
Cœpta quidem Thomæ Wolsæi sumptibus olim,
Sed patris Henrici censibus aucta tui.

2. *COLLEGIVM NOVVM* cœpit sub Richardo 2. per VVillielmum de VVykam Episcopum VVintonienſem, anno 1375. D. Culpepper VVarden.

PRoxima mox sequitur satis ampla frequénsque studentum,
Turba noui cœtus nomen adepta diu.
Turribus hæc altis toto micat æthere raris,
Doctrinæ gemmis vitis onusta suis.
Condidit hanc præsul Gulielmus in vrbe Wykama
Proles ter fausto sydere nata, Wykam.

3. Ars imprimendi sub id tempus inuenta in Angliam dilata. 1471. *COLLEGIVM MAGDALENENSE* cœpit sub Henrico sexto, per Guilielmum Wainflet Episcopum VVynton. anno 1459. D. Bonde Præses.

Nec

NEc minùs eſt celebris domus ampla dicata Mariæ,
Cuius ſacra fidem Magdala caſtra docent.
Splendida munificum teſtantur tecta patronum,
Aemula ſplendoris digna Wykame tui.
Indidit huic nomen Guilielmus Wainflet, alumnus
Vnus & ipſe gregis magne Wykame tui.

COLLEGIVM OMNIVM ANIMARVM, cœpit ſub Henrico 6. per Henricum Chichlæum Archiepiſcopum Cantuarienſem, 1437. D. Ouenden Warden. 4.

COrpora præpropero ſtudio plerique ſaginant,
Nec curant animas ſedulitate pari.
Id ne Muſarum faceret ſtudioſa iuuentus,
Admonet appoſito nomina quarta domus.
Sumptibus Henrici Chichlæi ſtructa, iuuandæ
Ceu foret hæc anima tota dicata domus.

COLLEGIVM CORPORIS CHRISTI, cœpit ſub Henrico octauo, per Richardum Foxum Epiſcopum Wintonienſem, 1516. D. Cole Præſes. 5.

QVinta iubet noſtræ memores nos eſſe ſalutis,
Quo modo & vnde ſalus parta ſit illa, docens.
Quam Deus aſſumpto quia Chriſtus corpore donat,
Corporis à Chriſti nomine nomen habet.
Cenſibus hanc amplis Richardus Foxus abundè
Suſtinet, & Muſis apta dat eſſe loca.

COLLEGIVM MERTONENSE cœpit ſub Edouardo primo, per Gualterum Merton Epiſcopum Roffenſem, 1274. M. Sauile Warden. 6.

NEc procul hinc diſtat, quæ ſexta eſt ordine, Merton,
Seu Mertonenſis dicta per ampla domus.
Gualterus Merton Præſul (quo Præſule Roffa

Floruit) huic domui fautor & author erat.
Quæ quamuis multos foueat pia mater Alumnos,
Aedes ſacra tamen pluribus apta foret.

7. *COLLEGIVM ORIALE* cœpit ſub Edouardo 2. per dominum Adam Frowne ab Oriali, eleemoſynarium eiuſdem Edouardi, 1323. D. Blencow Prouoſt.

SEd pergam in reliquis. ſtat Muſis ſeptima ſedes,
Orial ô verè regia dicta domus.
Annis illa valens Edwardi tempora vidit
Qui rex illius nominis alter erat.
Condidit hanc Adam quidam cognomine Brownus,
Et regi nomen detulit ille ſuo.

8. *COLLEGIVM REGINALE* cœpit ſub Edouardo 3. per dominum Robertum Egliſſeld ſacellanum dominæ Philippæ vxoris eiuſdem Edouardi, 1340. D. Robinſon Prouoſt.

HVic itidem ſimilis paſtor Robertus Egliſſeld,
Reginæ munus donat & ipſe ſuæ.
Nam reginalem cùm magnis ſumptibus ædem
Fundaſſet, vocat hanc (clara Philippa) tuam.
Fœmina quo Muſis nutrix non dura nouerca,
Pergeret & ſtudijs mater addeſſe pia.

9. *COLLEGIVM VNIVERSITATIS* cœpit ſub Alphredo per dominum Guilielmum Archidiaconum Dunelmenſem. 873. M. Gates Magiſter.

EN tibi iam prodit ſpecioſa Academia, quæ quum
Sit ſpecies, generis nomen adaucta tenet.
Vt logicè ſpecies generatim ſæpè vocatur,

Et

Et pars pro toto corpore ſæpe venit.
Huic Dunelmenſis Guilielmus presbyter ædi,
Communi ſtudijs nomen ab vrbe dedit.

COLLEGIVM AENEI NASI cœpit ſub Henrico ſeptimo, per Guilielmum Epiſcopum Lincoln. 1513. M. Harrys Principalis. 10.

AEneus hic Naſus prælucet, vt inſula ponto
Prominet, aut reliquo naſus in ore nitet.
Quæ domus impenſis Guilielmi ſtructa Smithæi,
Aeneo & æterno nomine digna manet.
Multis illa quidem turbis conferta ſtudentum,
Spes vt ſit meſsis magna futura bonæ.

COLLEGIVM LINCOLNIENSE cœpit ſub Henrico quinto, per Richardum Flemingũ Epiſcopum Lincoln. 1420. auctum ſub Richardo tertio, per Thomam Rotheram epiſcopum Lincoln. 1479. D. Vnderel Rector. 11.

HVic latus occiduum claudit Lincolnia ſedes,
Quæ ſibi patronos gaudet habere duos.
Alter erat Thomas Rotheram, Ricardus & alter
Fleming, eiuſdem præſul vterque loci.
Quos vbi ditarat Lincolnia, gratus vterque
Non ſibi, ſed ſedi, dona dat iſta ſuæ.

COLLEGIVM EXONIENSE cœpit ſub Edouardo ſecundo, per Gualterum Stapleton Epiſcopum Exonienſem, 1316. auctum ſub Elizabetha regina per dominum Guilielmum Petræum militem inauratum. 1566. D. Glaſier Rector. 12.

DIſtat ab Oxonio ſpatijs Exonia multis:
Iſta tamen Muſis hîc ſit amica quies.

Condi-

Condidit has præsul Gualterus Stapleton ædes,
Indidit & sedi nomina digna suæ.
Te tamen insignem laudant Petræa patronum,
Et laus ex studijs altera parta tibi est.

COLLEGIVM TRINITATIS cœpit sub Maria regina per dominum Thomam Popum ordinis equestris militem inauratum. 1556. D. Yelder Præses.

VRbis at egressæ iam mœnia Proxima sedes
Occurrit Thomæ sumptibus aucta Popi.
Quam sacrosanctæ Triadis cognomen habere,
Iussit inauratus miles equestre decus.
Huius adhuc teneros fœtus pia mater adauget,
Coniux tam digno coniuge digna suo.

COLLEGIVM BALLIOLENSE cœpit sub Edouardo primo, per Ioannem Balliol regem Scotiæ 1263. D. Lilye Magister.

SEd minùs hoc mirum est nostrates hactenus vrbem
Hanc iuuisse suam, cui Scotus addit opem.
Clarus Ioannes regali stemmate natus
Balliol, hic Musis atria clara locat.
Qui patria pulsus, patriæ iam redditus Anglis,
Hos fidei testes obsequiúmque dedit.

COLLEGIVM. S. IOAN. BAPTISTAE cœpit sub Maria regina, per dominũ Thomam Whyte ordinis equestris militem inauratum. 1557. M. Hutchinson Præses.

VLtima postremo iam commemoranda triumpho
Restat Ioanni sacra dicata domus.
Quæ licèt extremo claudatur fine laborum,

Laude

Laude par, extremo ſit licet iſta loco.
Has Thomas Whitus Londini gloria raras,
Mercator merces donat, emitq; ſuis.

SCHOLA THEOLOGICA opus rarum, cœpit ſub Henrico 6. per dominum Humfredum ducem Gloceſtriæ. 1447.

EMinet & mediæ faſtigia ſuſcipit vrbis
(Dux Humfrede) tuis ſumptibus iſta ſchola.
Surgit in immenſum turritis vndique pinnis,
Sectaq; perpulchro marmore quadra domus.
Splendida luminibus crebris laquearia fulgent,
Artificumq; nitent pendula ſaxa manu.

SCHOLAE PVBLICAE ſcientiarum liberalium extructæ ſub Maria regina. 1557.

IMminet huic ſeries bis quinque inſtructa domorum,
Semita qua ſtudijs omnibus vna patet.
Sumptibus has fecit Regina Maria deditque,
Vnde nouas poſſis haſce videre ſcholas.
Elizabetha ſoror tu digna ſorore Maria,
Pro pietate tua quas dedit illa foues.
Gratia vt æqualis iam detur vtrique ſorori,
Altra quòd has foueat, quòd dedit altra ſcholas.

AVLAE CERVINAE deſcriptio. M. Randall Principalis.

AVlarum forma pulcherrima proxima teſtis,
Aula Wikame tuis ordine prima ſubit.
Inclyta nobilium numeroſa pube referta,
Ceruina à ceruis nomine dicta domus.
Atque ſuo merito Ceruina hæc dicitur Aula,
In media cerui cornua fronte gerens.

Epitome

Epitome Aularum.

Candida, Lata, Noua, ſtudijs ciuilibus apta
Porta patet Muſis (Iuſtiniane) tuis.
Quæ reſtant alijs diſcendis artibus Aulæ
Sunt propriè, quibus hæc nomina priſca manent.
Sacra Mariæ, Alburnenſis, Gloceſtria, diui
Edmundi, ac demum Magdalis aula frequens.

Nunc quæſo te benigne Lector, per lachrymas & literas, per familiaritatem noſtram & humanitatem veſtram, ne quis mihi detrahat, nec plus iuſto tribuat, neque hæſitantem in vberibus matris meæ corripiat, neue ludentem aut laſciuientem in mamillis eius lædat: foueat ſi lubet, amplectatur & tueatur.

Ita'.8. Papienſis ſiue Ticinenſis Academia in Longobardia: à Carolo Magno non diu poſt Pariſienſem erecta eſſe creditur, anno Domini, 800. vulgò Pauia dicta. Iaſon Patricius Mediolanenſis hîc publicè profitebatur
Iuriſp. multis annis Iuriſprudentiam. Hic Baldus Iuriſconſultus, poſtremam ſuam doctrinam, quæ & perfectior, & gratior eſſe ſolet, edidit. Egregiam fuiſſe Bibliothecam in Arce Caſtri Ticinenſis ſcribit Iaſon. Sacram Philoſophiam de vero Deo primus Ticini profeſſus eſt Syrus Aquilienſis, eo tempore quo D. Petrus eam Romæ docebat. Carolus ille Magnus, ad conſeruandam propagandámque veram doctrinam Chriſtianæ religionis, alterum illorum Monachorum qui ex Brutannia venerabilis Bedæ presbyteri diſcipuli in Galliam venerant, ſapientiam ſe vænalem habere profitentes, Ticinum miſit, vt illam ibi in animos hominum infunderet, primúmque huius Academiæ (vt quibuſdam videtur) rectorem dedit. Long. 28. 22. lat. 44. 50. diſt. 785.

Li.7.hiſt.Gal. Arnoldus Ferronus ſcribit, quòd Antonius Papienſium

sium dux,& propugnator à Cæsare constitutus, vt militibus integra stipendia persolueret, etiam argentea sceptra, quæ instar Fascium vniuersitatis Rectori præferebantur, in suos vsus conuertit. Egregia etiam Bibliotheca quam in arce castri Ticinensis extitisse scribit Iason, tunc magna ex parte interijt: sed partim Pontificum Romanorum, partim aliorum Principum munificentia & liberalitate, iterum constitit: Sicut & nostram Oxonienſem Bibliothecam audio, & spero breui fore restituendam. O verè fortunatum, illustrem, munificum & beatum Principem, Heroam, seu nobilem quemcunque, cuius tantam virtutem omni æuo celebrandã nulla ętas conticescet? Quem florentissimę Athenæ nostræ æternitati consecrabunt Philobiblon?

Patauina, vulgò **Padua**, in Marchia Taurisana à Carolo magno instituta, anno domini 791. Hanc auxit Fredericus 2. Hinc oriundus Titus Liuius Patauinus, Iason Iurisconsultus, Blondus, & alij. Ab Antenore Troiano conditam scribunt, & totius Italiæ velut Athenienſem Areopagum esse, vnde doctissimi plures prodierunt. Est illic Prætorium omnium quæ in orbe memorantur dignissimum. long. 32. 50. lat. 44. 50. Ital. 9.

Panormitana in Regno Siciliæ, vulgò **Panormum**, iam inde ab initio bonis literis & legibus saluberrimis floruisse videtur. Quas vbi Verres vt liberiùs tyrannidem suam exerceret, sustulisset, L. Metellus Prætor restituit. long. 37. 0. lat. 38. 0. Sicil. 3.

Parisiensis, Lutetia, seu Lucotetia Parisiorum, vulgò **Paris**. Carolus magnus circa annum dom. 791. dicitur instituisse Alcuini Præceptoris sui consilio admonitus, qui fuerat venerabilis Bedæ Angli discipulus. Inde Anglorum Colonia dicta. De Parisijs sic scribit Architritemius. Gal. 13. Ang. Colonia.

Exoritur tandem locus altera Regia Phœbi,
Græca libris, Inda ſtudijs, Romana Poetis,
Attica Philoſophis, Mundi Roſa, Balſamus Orbis.

Quanquam ante Carolum Artes Pariſijs etſi corruptæ floruiſſe videntur, is tamen veram Academiæ formam ex Romana iutroduxit, vt ipſe in epiſtola, & Saburellus, & Petrus Anchoranus inſignes Iuriſconſulti Clement. 1. de Magiſtris: & Vincentius lib. 24. ſpeculi teſtantur. Hinc aliquot ſtudioſorum millia, ſub Ludouico Sancto Oxonium demigraſſe ſcribunt Annales Franciæ, circa annum domini 1253. quod ſibi & priuilegijs iniuriam factam quererentur. Vnde triſte literarum exilium cum luctuoſo nimis ſpectaculo Lutetiæ ſubſecutum eſt. long. 17. 8. lat. 47. 55. diſt. 712.

Ital. 10. Peruſina, Ptolomeo Peruſia Auguſta, vulgò Perugia in Tuſcia, florere cœpit circa annum domini 1290. inquit Blondus vrbs vetuſtiſſima, olim Etruriæ primaria, & ſola inter omnes Italiæ vrbes fœlicitatem nacta inauditam: quod eandem pene ſtatus & rerum conditionem, quæ ante conditam vrbem Romam, & poſtmodum Roma ſub Regibus, Conſulibus, Imperatoribus, & tyrannis agente habuit, nunc retinet: paſſa tamen varias ſed tolerandas agitationes fuit. Hîc floruit ille Paulus qui de dijs Græcorum & Latinorum ſcripſit. Floruerũt hîc Philippus Francus, Cynus Piſtorienſis. Quo præceptore Bartholus vſus Iuriſprudentiæ fundamenta iecit: & tandem Pononiæ promotus, quum Piſis aliquandiu docuiſſet, Peruſium reuocatus, non minori cum gloria quàm fructu ius ciuile profeſſus eſt, vt ſummus Iuris commentator, & terreſtre quoddam numen vocaretur. long. 35. 18. lat. 42. 56. diſt. 1112.

Ital. 11. Piſana, vulgò Piſſu, in Tuſcia, quam Volateranus ſcri-

ſcribit à Pon. max. fuiſſe inauguratam, an. dom. 1339. deſerta erat anno 1543. Coſmus Medices dux Florentinus, ſcholas Piſanas iam ante multos annos deſertas reſtituit, & per Matthæum Curtium Medicorum Principem excellentis doctrinæ virum, alioſq; doctos magna pecunia conductos, omnium ſcientiarum profeſſione claram celebrémq; fecit. Laurentius egregiè eam promouit. Floruit Decius celeberrimus Iuriſconſultus. long. 31. 28. lat. 42. 22. diſt. 1007. Gymnaſium generale.

Pictauienſis in Auerniæ ducato vulgò Poictiers, Ptolom. Anguſtoritum Pictonum metropolis. Munſterus alterum à Pariſienſi locum obtinere affirmat. Quippe qua omnium Artium ſtudia frequentiſſimis auditorijs à ſapientiſſimis viris accuratiſſimè tradantur, præſertim Iuriſprudentia. long. 17. 50. lat. 48. 20. diſt. 228. Gal. 14.

Poſnenſis, vulgò Poſnaw, Ptolom. Stragana in Polonia, aliquando paulùm emerſit, at poſtmodum collapſa iacet obſcura: neſcio an fuerit vnquam confirmata. Polon. 4.

Bohemia Chriſti fidem accepit Imp. Arnulpho, anno domini, 900. Regem primum Chriſtianum Borſinum habuit. Vladiſlaus R. 1.

Academia 1.

PRagenſis in Bohemia, vulgò Prage: extructa à Carolo 4. Imp. anno domini 1370. vt refert Aeneas Syluius in geſtis Bohem. Fuit hic Rex Bohemorum, & ea Regia eſt. Carolus iſte Scholam ingreſſus 4. horis integris Magiſtrorum diſputationes audiuit: quumque id purpurati moleſtè ferrent, & tempus cœnæ inclamarent, reſpondit, Mihi tempus eſt, vobis minimè: nam cœna mea hæc eſt. Egregium Collegi- Bohem. 1.

um Carolus instituit, & insignem Bibliothecam. Heduigis Polonorum Regina, an. 1400. Collegium addidit Lituanorum, quod Reginæ vocabatur, & possessionibus egregiè ditauit, vt in eo Lituani sui eruditentur, sed iam intercidit. Ferdinandus 1. & Maximilianus 2. Rom. Imperator eam restituerunt. long. 32. lat. 50. 6. dist. 770.

Pol. 3. Regiomontana in Prussia. Hanc Albertus Marchio Brandeburgensis instituit, anno dom. 1544. vulgò Konisburg. In arce Vilnensi Poloniæ Reges Bibliothecã magnificam extruxerunt, vt refert Cromerus. long. 41. 16. lat. 54. 17. dist. 10. 80.

Gal. 15. Reihmensis, vulgò Rheims. Hanc ante paucos annos erexit Carolus Lotharingiæ Cardinalis. Campaniæ Metropolis est qua Reges Franciæ consecrantur, long. 10. 55. lat. 48. 45. dist. 354.

Germ. 17. Rostochiensis, vulgò Rostocke, in ducatu Mechelburgio, quæ dicitur initium sumpsisse ex Erphordiensi, anno dom. 1419. per principes Megapolenses. Alijs cœpisse videtur, anno 1415. florere 1419. Huius sententiæ est Munsterus, lib. 3. Aeris illic multa salubritas, & victualium omnis generis leui pretio magna est copia. long. 30. 14. lat. 54. 36. dist. 606.

Ital. 12. Romana, vulgò Rome, olim terrarum domina. Florente enim Repub. (inquit Blondus) literis omnibus honor maximus fuit, nihilq; in ea vrbe maius, nihil optabilius literis & doctrina extitit. Quod Ciceronem permouisse credo, quando vt nihil in rerũ vniuersa natura Mundo, sic in terris nihil Roma melius, nihil præstantius esse affirmat. Arcem dehiq; Regum, & nationũ exterarum, & lumen Gentium, domiciliúmq; Imperij vocat. Quæ (authore Plinio) plures in quocunq; genere eximios tulit, quàm cæteræ terræ. Nec aliunde plura

3. de natura Deorum.

ma-

maioráque virtutum & doctrinæ exempla extitiſſe ait Fabius. Hæc primò (vt habent Annales & Hiſtorici) ex Athenarum reliquijs Academia eſſe cœpit, anno 700. Poſteà verò paulatim corruẽtem inſtaurauit auxítque Eugenius 4. qui paſſim Academias in Europa inſtaurauit, auxítque, vt ſcribit Sabellicus. Iulius 3. Collegium Germanicum inſtituit, vt Germani adoleſcentes gratis alerentur. Eſt ibi Collegium ſapientiæ, quod Athenæum priùs fuerat: vt omnium artium ac facultatum profeſſores honeſtè illic alantur. Offa rex Merciæ Anglicanæ, Scholam dicitur erexiſſe Romæ Anglis ſuis, quam aliqui in Oxonienſem Academiam traducunt. At hercle mirum videri debeat, eum tam longis itineribus Romam profectum ad ſcholas erigendas, & Rom.
domi in tam grata patria, Gymnaſium vel non priùs fundatum, reliquiſſe deſolatum. Hunc aliqui ſcripſerunt Oxonię ſtatuiſſe Academiam. Sed valeant per me qui vel adulterinos fœtus, ſiue monſtra parturiunt. Vbi Roma Philoſophis & viris doctiſſimis abundabat, è Græcia, Aegypto, aliiſque regionibus eò confluentibus, honeſtiſſimum tunc erat Romæ docuiſſe aut ſtuduiſſe. Iſtuc Porphirius ad Plotinum, in hac Academia profeſſorem inſignem veniſſe legitur. Seuerum ex Affrica Imperatorem Romam veniſſe, ſtudiorum gratia, ſcribit Spartianus. T. Liuius quàm multos ex remotiſſimis prouincijs ad ſe attraxit. Aurelius Auguſtinus profeſſionis cauſa Romam venit. D. Hieronymus Romæ Pſalterium correxit. Bibliotheca vaticana Romæ multùm celebris. D. Hieronymus inſignia fuiſſe Romæ Gymnaſia, ante ſua tempora indicat. Long. 36. 40. lat. 41. 40. diſt. 1197.

Salernitana, olim Medicinæ ſtudio florentiſſima, ab Ital. 13.
Anglorum rege conſultata, optimum dedit conſilium,

pro valetudine tuenda, hijs versibus:

Anglorum Regi scribit Schola tota Salerni,
Si vis incolumem, si vis te reddere sanum,
Curas tolle graues, iraſci crede prophanum,
Parce mero, cœnato parùm, non ſit tibi vanum
Surgere poſt epulas: ſomnum fuge meridianum,
Nec mictum retine, nec comprime fortiter anum.
Hæc bene ſi ſerues, tu longo tempore viues.

Paulatim etiam cæteræ artes hîc traditæ fuerunt. Nam Robertus Moranta ſpeculi aurei ſiue luminis aduocatorum author, Iuriſprudentiam hîc docuit. Etſi nunc temporis iniuria, aliarum vicinarum Academiarum ſplendore propemodum obſcurata ſit. Long. 90. o. lat. 40. 40.

Hiſp. 14. Salmanticenſis, vulgò *Salamanca*, in regno Caſtellę: à Ferdinando 3. anno Domini, 1404. vt aliqui volunt extructa: de cuius inſtitutione laborant ſcriptores, quum alius à Benedicto 13. Pon. inſtitutam ſcribit, variiſque priuilegijs ornatam, & inter prȩcipuas vniuerſi terrarum orbis Academias numerandam cenſeat. Eſt & Epiſcopatus dignitate conſpicua. Long. 7. 39. lat. 40. 15. diſt. 765.

Ital. 14. Senenſis, vulgò *Senes*, in Tuſcia: ab vrbe Roma centum milliaribus diſſita. Munſterus lib. 2. ſummam loci elegantiam eſſe, ſtudiiſque alendis natura accommodam, ac ciues ſuauiſsimis moribus, maximáque humanitate prædítos narrat. Iuriſprudentia & Medicina præcipuè illic coluntur. Petrus Anchoranus teſtatur, quòd ipſe anno Domini, 1387. à ſenatu Senenſi euocatus, per triennium ibi decretales docuerit. Volateranus lib. 21. refert, quod Dinus ſub Iohanne 2. Pon. (quum Bononiæ inuidia laboraret) Senas profectus ſit, vbi tunc ſtudia florere cœperunt, anno circiter 573. Floruerunt

Iuriſp. Medicina.

erunt hîc Abbas Panormitanus, Paulus Castrēsis, Bartholomæus Socinus. Philippus Decius, Hugo Senēsis, Augustinus Dathus, Philippus Philelphus, &c. Cardinalis Sarabellus varias hanc Vniuersitatem principio vexationes pertulisse scribit, ita vt orta sit rursus interierit, at tandem aliquando constitit. Long. 348. 18. lat. 42. 50. dist. 989.

Sequensana, siue Ciquensana in regno Castiliæ: de qua nihil ampliùs adhuc apud authores scriptum reperio. Hisp. 15.

Syracusana apud Syculos, Gymnasium est & celeberrimum. Vrbem maximam & pulcherrimam, florentissimámque veteres probant scriptores, vbi religiosissima, opulentissimáq; deorum templa, forum maximũ, ornatissimum Prytaneum, amplissimam Curiam, & frequentissimum fuisse Gymnasium docet Cicero 6. contra Verrem. Hîc C. Cæsar Græcæ Latinæque linguæ Gymnasium, certamen, & exercitia instituisse legitur. Floruit hîc Archimedes insignis Mathematicus. Rhetoricen primò hic mercede profitebatur Corax, qui Tysiam habuit discipulum. Vnde quum versuti ambo dilemma inuicem retorquerent, exijt in vulgus κακοῦ κόρακος, κακὸν ᾠόν. *mali corui malum ouum*. Hîc etiam magnis, turbulentísque tempestatibus, tempore hyberno Sol videtur, vt scribit Martius Aretius, & Iulius Solinus ait: *Dædalus Fabræ artis magister principem vrbium Syracusas habet, in qua etiam cum hyberno conduntur serena, nullo non die Sol est*. Hîc docuit Plato Philosophorum deus, vt refert Volateranus. Long. 40. 30. lat. 37. 30. Sicil. 4.

Taurinensis, Ptol. Augustæ Taurica, vulgò *Turyn*, in Lombardia: florentissima, quum Duces Allobrogum eam tenuerunt. Erasmus Roterodamus hîc Sacræ Theologiæ gradum accepit, & Theologiam professus Ital. 15.

fessus est. Ciuitas hæc multis ornata est: vt Principis aula, summo regionis Senatu, titulo Archiepiscopali & alijs. Long. 30, 32. lat, 43, 40. dist. 977.

Germ. 18. Treuerensis, vulgò **Trire**, inter Germanicas vrbes vetustissima. Hanc Aeneas Siluius 150. annis dicit Roma antiquiorem. Vrbem hanc dicitur condidisse Trebates princeps, à Semyramide expulsus de regno Babyloniæ. Hęc propter varias mutationes & temporum iniuriam intercidisset, nisi prudentissimus Iohannes & Iacobus Archipræsules restaurassent. Constantinus ille Magnus, & Helena mater, nihil prętermisere ad hanc ornandam. Long. 26. lat. 49. 10. dist. 712.

Hisp. 16. Toletana, vulgò **Toledo**, in regno Castellę: vbi Alphonsus 10. Hispaniarum rex 29. tabulas astronomicas fecit, circiter annum Domini, 1260. Est hic Episcopatus annui prouentus magni. Long. 9. 4. lat. 39. 55. dist. 774.

Gall. 16. Iurisp. Tolosana, vulgò **Tolous**, in Tolossa prouincia regni Gallię, vbi maximè floret Iurisprudentia quę hîc traditur accuratissimè, ita vt qui paucos annos hîc studuerit, non possit non eruditissimus ad suos redire. Vetus hęc est Academia & celebris, quę vt non diu post Parisiensem orta est, ita eisdem penè ornatur priuilegiis. Hîc Iurisconsulti tam diligenter suas prælectiones continuant, vt festis diebus (præter dominicos & qui B. Marię Virgini & Apostolis dicati sunt) vnum profitendi morem obseruent. Long. 17. lat. 43. 32. dist. 586.

Germ. 19. Tubingensis, vulgò **Tubinghe**, in ducatu Wittenbergensi, extructa anno Domini, 1447. ab Euerardo Comite Wittenbergensi, alijs, anno 1477. Vixerunt hîc Iohannes Nauclerus, Cancellarius & præpositus Tubingæ, & Iohannes Reuclin, qui primus Hebręas & Græcas literas in Germaniam inuexisse creditur. Multùm

tùm valuit ad hanc Academiam promouendam consilium Willielmi Truchſes vicarij Cæſareæ maieſtatis in ducatu Wittenbergenſi. Long.26.23.lat.48.38. diſt.604.

Valentina,vulgo Valence, prope Rhodanum fl. in ducatu Allobrogum,qui nunc Sabaudium & Delphinatum complectitur. Anno Domini, 1470. multùm floruit hæc Academia, clariſſimóſque in omni artium genere profeſſores habuit. Volateranus eſtis eſt S. Vincentium Valenciæ (quæ Philoſophię & ſacræ Theologiæ ſtudijs clariſſima vrbs erat) ſacras literas publicè docuiſſe. Multæ prætereà in Hiſpanijs Academiæ eſſe feruntur,vt Oſcinenſis, Siguntinenſis, Pincianenſis,Valiſolitana,Veſcana,&c. de quibus plura ſcribere ſuperſedeo, quia parua eſt eorum in literis diuulgata notitia.Reſtat tantùm de Valencia dicere, quòd regni Metropolis eſt & Vniuerſitas clariſsima. Hiſp.17.

Valliſolitana, aliâs Pincienſis, vulgó Valladulit, in regno Caſtiliæ.

Cordubæ olim Mauri egregiam ſcholam cum inſtructa Bibliotheca habuerunt,vbi Arabicæ literæ tradebantur.

Veneta,ſeu Venetiana,vulgò Venice, vrbs illuſtris, & Paradyſus deliciarum appellatur.Sacram Theologiam,& reliquas liberales artes ex vrbe Roma,aliiſque Italiæ vrbibus maiores huc intulere,quas hactenus fœliciter & ſplendidè profitentur. Emanuel Chryſoloras Græcas literas introduxit. Eſt illis ſingularis quædam beneuolentia & mira comitas in exteros Chriſtianos. Vrbs condita eſt anno Domini 460. ab Italis qui metu Attilæ fugierunt, Inde quaſi ex equo Troiano plurimi doctiſſimi viri prodierunt.Hermolaus Barbarus, Guarinus Veronenſis, Antonius Mancinellus, Iohannes Ital.16.

Baptista Egnatius, Cælius secundus, Petrus Bembus, Aldus Manutius, eiúsque filius Paulus, &c. Bessarion Cardinalis, Patriarcha Constantinopolitanus Bibliothecam Græcam triginta millibus nummûm aureorum emptam extruxit. Iohannes Baptista Egnatius scribit, quod is Romano filio librum reliquerit, in quo summa totius Imperij sociorum omnium fœdera, hostium vires, rationes & concilia continerentur. Hunc nos inquit in Bibliotheca nostra tanquam thesaurum seruamus, quippe in quo multa de Venetis etiam nostris Imperator ipse differat. Est certè bibliotheca instructissima copiosissimáque, ex qua Leo 10. Pon. certos libros Græcorum depromi mandauit. Floruit etiam Iohannes Rauennas, quem Volateranus primum esse ait, qui eo tempore quo literæ reuixerunt, ludum in Italia aperiret, & Venetijs docuit. Antonius quoque Sabellicus in Ronoaltino Gymnasio sub Antonio Cornelio Gymnasiarcha se professum fatetur. A Carolo magno indultum est Venetis, vt proprijs legibus vterentur. Long. 34. o. lat. 45. o.

Germ. 20. Viennensis, vulgò *Vienna*, in Pannonia superiori: Austrię Metropolis. Fredericus 2. Rom. Imperator optimis artibus confirmatum atque fulcitum imperium Conrado filio relicturus, anno Domini, 1237. Viennensem Academiam ex Romana & Parisiorum Vniuersitate instituit. Quam deinde Rodolphus 4. Albertus 3. & Leopoldus duo fratres, in commodiorem locum, ad supremam vrbis Curiam transtulerũt, optimísque priuilegijs ornarunt. Duram hæc Turcæ obsidionem passa, anno Domini, 1529, non sine maximo omnium dolore euersa est. Sed Ferdinandus primus, eiúsque filius Maximilianus 2. magnis sumptibus eam instaurarunt. Multa hîc memoria digniſsima, immanis Turcarum

Turcarum furor deleuit. longitudo 35.8. latitudo 98. 22.dist.924.

Visontina in Burgundia instituta ab Antonio Pero- Germ.21.
notto Mechlinensi Archiepiscopo, qui eam continuò augere non desinit, vt docti inde prodeant viri, qui Christianam Rempub.promouere & propugnare possunt.

Wittenbergensis in Saxonia vulgò Wittenberg, Germ.22.
in ducatu Saxonum. Hanc Fredericus primus Saxoniæ dux elector,anno domini 1502. in Lipsensi & Tubingẽsi erexit, & alter Fredericus ita ornauit,vt ex frigida (teste Erasmo)celebris euaserit.lon.30.30.lat.51. 50.dist.657.

Sunt porro in Germania scholæ triuiales complures meritò recensendæ: vt in Hollandia, Dauentria, Goningia,Traiectum vulgò Vstrich Lausanna,Losen, Tigurum vulgò Zurich, Berna, Parthenopolis, Meidburg, Geneua, Altorphium, Brunsuicum, Neapolis,Casimeriana,Vlma & Augusta Sueuorum.

Habuit & Polonia Vratislauiensem Academiam, quam Vladislai Vngariæ Bohemiæ Regis & Episcopi Vratislauiensis opera atque auxilio erigere conabantur. Sed contra eam sic inualuerũt Cracouienses,quòd Iulius Pon.erigi non permisit.

Habet & Italia Academias seu scholas triuiales plures.Nec vlla ferè est in ea ciuitas insignis, quæ scholam triuialem non habet,in qua linguarum & humaniorum disciplinarum cognitio diligentissimè non tradatur: vt meritò dici posset parens & alumna literarum.

Sunt in Anglia Scholæ triuiales complures per singulas ciuitates & per singula ferè oppida: præcipuè autem illę Aetonensis & Westmonasterienſis ab Henr.6. Edwardo 4. & Elizabetha Principibus fundatæ,mag-

nifica certè & verè regia illuſtriſſimorum Principum ſummi amoris in bonas literas argumenta, & trophæa ſplendidiſſima, omni æuo celebranda. Sunt in principe ciuitate Regia Londinenſi, Paulina Coleti, & Antoniana illa. Eſt & Mercatorum Sciſſorum. Alia item apud Eccleſiam Chriſti, quarta Londinenſium ſchola non vulgaris. Simul & Italicæ & Gallicæ linguæ profeſſores ſunt, qui tenellos Angliæ fructus ad Academiarum maturitatem capeſſendam reddunt inſtru-

ctiores.